HENRICI CANISII NOVIOMAGI, IC. ET SS. CANONUM PROFESSORIS IN ACADEMIA INGOLSTADIENSI.

REFUTATIO

TRIUM TRACTATUUM NUPER EDITORUM A QUODAM IC. HEIDELBERGENSI, SUO, MARSILII DE PADUA, ET GUILHELMI OCCAMI, nomine.



Cum licentia Superiorum.

INGOLSTADII,
Ex Officina Typographica EDERIANA *apud* ANDREAM ANGERMARIUM.
Impensis Eliæ VVilleri.
Anno M. D C.



NOBILI ET CLARISSIMO VIRO, DOMINO MARCO VELSERO, REIPVB. AVGVSTANÆ SEPTEMVIRO.

HENRICVS CANISIVS NOVIOMAGVS S.



AGNVS ille HOSIVS Cordubensis Episcopus, vita sanctimoniâ & doctrina clarus, MARCE VELSERE V. C. olim Constantium Arrianum primum ex Imperatoribus hæreticum, & Arrianorum impulsu ac persuasione negotiis Ecclesiasticis se immiscentem, & iura Ecclesiastica perfide violantem, grauiter serioq́ monuit, vt quodam loco Beatus Athanasius memoriæ prodidit. Ne te immisceas Ecclesiasticis, nec nobis Episcopis Imperator in hoc genere rerum Ecclesiasticarum præcipe, sed ea potiùs à nobis disce. Tibi Deus Imperium commisit, nobis ea, quæ sunt Ecclesiæ. *Sapienter profectò, vt decebat iuris Ecclesiastici assertorem & vindicem* In epistola ad Solitariam vitam agentes.

Pontifice dignitatis. Nam velle confundere Ecclesiasticam & ciuilem potestatem, Ecclesiasticas controuersias ad Politicum tribunal reuocare, nimis est insolens & Christiano Principe indignum. Etenim viris Ecclesiasticis Ecclesiæ, Magistratibus sæcularib. Corpora Reipublicæ ciuilis regenda & moderanda commissa sunt. Quare & D. Chrysostomus, Magistratum sæcularem seriò admonet, vt intra suos maneat terminos, nè Ecclesiasticam iurisdictionem turbet, nè Ecclesiasticas controuersias ad Ciuilia tribunalia pertrahat, suaq; auctoritate decidat: Quia alij sunt termini regni, alij Sacerdotij: Hoc Regnum illo maius est, Rex ea, quę sunt in terris sortitus est, administranda, Cæterùm ius Sacerdotij è supernis descendit. Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ; maior hic principatus, propterea Rex caput submittit manui Sacerdotis, & vbique in veteri scriptura Sacerdotes inungebant Reges.

Tom. 1. de verbis Esaiæ. homil. 4.

Quò spectat & illud Gelasij ad Anastasium Imperatorem: Duo sunt quippe Imperator Auguste, quib. principaliter hic mundus regitur: auctoritas sacra Pontificum & Regalis potestas. In quibus tanto grauius pondus est Sacerdotum, quanto etiam pro ipsis Regibus hominum, in diuino sunt reddituri examine rationem. *Et post pauca.* Nosti itaque inter hęc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam redigi posse voluntatem. Talibus igitur institutis, talibusq; fulti auctoritatibus, plerique Pontificum, alij Reges, alij Imperatores excommunicarunt. Nam si speciale aliquod de personis Principum requiratur exemplum: Beatus Innocentius

In epistola ad Anastasium Imperat. Extat in Decreto Gratiâni in c. duo sunt. dist. 96. & in epistola Gregorij VII. ad Hermannum Metensem Episcopũ lib. 8. epist. 21.

centius Papa, Arcadium Imperatorem (quia cõsensit, vt S. Ioannes Chrysostomus à sua sede pelleretur) excommunicauit. Beatus etiam Ambrosius, licet sanctus, non tamen vniuersalis Ecclesiæ Episcopus, pro culpa, quæ aliis Sacerdotibus non adeo grauis videbatur, Theodosium Magnum Imperatorem excommunicans ab Ecclesia exclusit; qui etiam in suis scriptis ostendit, quòd aurum non tàm pretiosius sit plumbo, quàm Regia potestate sit altior dignitas Sacerdotalis; hoc modo circa principium sui Pastoralis scribens: Honor, fratres, & sublimitas Episcopalis nullis poterit cõparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares & Principum diademati, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares: quippè cùm videas Regum colla & Principum, submitti genibus Sacerdotum, & osculatâ eorum dextra, orationib. eorum credant se communiri.

Et hanc eandem distinctionem iurisdictionis Ecclesiasticæ & Ciuilis, tota agnouit veneranda antiquitas; vt mirum sit, eo impudentiæ quorundam ingenia prolapsa esse, vt Ecclesiasticam iurisdictionem omnino imminutam velint, & translatam ad politicum magistratum. Sed tandem video C. V. Velsere, nihil esse tam sanctum & exploratum, quod non ab ambitiosis & superbis ingeniis in calumniam trahatur, nullumq́ errorem adeò absurdum effingi posse, quin patronos suos & defensores semper reperiat. Sunt enim homines quos inscitiæ siue potiùs arrogantiæ neq́ tædeat, neq́ pudeat, qui quasi de industria Ecclesiastica iura

violare velle videantur. Verum illud vetus: Damnat quisque quod ignorat, præsertim si affectu animus à vero sit abductus. Atq; vt reliqua Ecclesiæ Catholicæ iura, quæ hodie à multis nefariè conuelluntur, sileam, nuper editus est liber Heidelbergæ, à quodam, I C. ibidem, de iudice causarum Matrimonialium, qui cum in manus meas incidisset, obstupui, rem adeo nouam tentari à Iurisconsulto, contra Sacros Canones, contra receptam reliquorum Iurisconsultorum sententiam, contra præiudicium Cameræ Imperialis, cui alioqui hac in re hoc iuris attribuit. Ideoq; mei muneris esse arbitratus sum, pro ea professione, quam iam aliquot annos in hac alma Ingolstadiensi Academia, in Sacris Canonibus explicandis, publicè sustineo; si turpissimi huius erroris patronos, pro exiguitate ingenij mei refellerem, ac breuiter demonstrarem, causarum Matrimonialium iudicium non ad secularem seu politicum, sed Ecclesiasticum magistratū spectare, & eos grauissimè & perniciosè errare, qui contrarium defendunt. Nituntur quidem legibus olim ab Imperatoribus præsertim à Iustiniano conditis circa Matrimonium, sed quam solide ostendit (nisi fallor) hæc refutatio. Occurrit iam, quod Facundus Hermianensis Episcopus, qui Iustiniani Imp. ætate vixit, in Zenonem, tum in ipsum Iustinianum his verbis scriptum reliquit. Ita se gessit, quasi omnium fides Ecclesiarum ex eius voluntate penderet, & nemini liceret aliter credere, quàm præciperet Imperator. *Et infra.* Aliquod ergo ius mundana potestas Ecclesiæ valet auferre, nullum sibi tamen adquirere. Melius ergo est, vt semet intra limitē suum contineat, quem cùm transgreditur, perdere multos potest, lucrari ne-

And. Gail lib. 1. obs. 112.

Lib. 2. de defens. 3. capp.


neminem: Nam & suas habent officinas vel artifices omniaq; ex proposito doceri videmus. Nunquam enim de textrina personare incudes audiuimus, & ignem illic in fornacibus anhelare. Nunquam comperimus à sutore quæsitum, quæ cuiusque fabricæ proportio latitudinis conueniret, & quanta vtrisque conueniens congrueret altitudo; quoniam illa integrè scire possunt, quæ ab ipsis artis sunt præceptoribus institutæ scholæ.

Hos labores, & paucorum dierum vigilias & commentationes tibi Marce Velsere potissimùm dicare & sub clarissimo nomine tuo in lucem conspectumq; hominum exire volui: quòd antiquitatem ames & venereris, scriptisq; tuis publicè illustres, & ab antiquis Canonibus à Catholica Ecclesia receptis nunquam discedas, tanquam ex iis nostra salus pendeat, in iis conquiescat Reipub. Christiana pax & tranquillitas. Vale V. C. & me honoris & dignitatis tuæ studiosissimum amicorum tuorum numero adscribe; & vbi aliquid otij à grauioribus Reipub. negotiis nactus fueris, hunc breuem libellum euolue: facile perspicies pro tua singulari doctrina & ingenio, causam quam nobis intendunt Aduersarij nostri, nec æquitate nec ratione niti.

INGOLSTADII *Kalendis Ianuarij*
M. DC.



CON-




CONCILIVM TRIDENTINVM SESSIONE XXIV. DE SACRAMENTO MATRIMONII, CAN. XII.

Si quis dixerit causas Matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos; anathema sit.



REFV-

REFVTATIO PRIMI TRACTATVS, QVI EST CVIVSDAM IC. ET PROFESSORIS HEIDELBERGENSIS.



CITE & verè PAVLVS: *Minimè ſunt*, inquit, *mutanda, quæ interpretationem certam ſemper habuerunt* [a]. Quo certè reſponſo ſedari potuiſſet animus Aduerſarij noſtri, ſi IC.us eſt, aut haberi vult. Quid enim apud omnes Interpretes vtriuſque Iuris receptius, quàm cauſarum Matrimonialium iudicem, non eſſe alium, quèm Eccleſiaſticum, Et tamen hic, contra omnium Doctorum ſentētiam, nobis obtruſum vult, aut ſaltem conatur, Magiſtratum Politicum, qui in re Matrimoniali, vtpote ſpirituali, nec iudex, nec legislator eſſe poteſt, vt in progreſſu latiùs docebitur. Quod enim Guilhelmum Occamum & Marſilium Patauinum in ſententiam ſuam adducat, nihil nos commouet, cùm hi Iuriſconſulti non ſint, nec probati Theologi; quorum tamen argumenta & rationes infrà examinabimus. Quod verò vno ore Interpretes cauſarum Matrimonialium iudicem conſtituant Eccleſiaſticum, non Politicum; videantur ad c. accedentibus. 12. ext. de exceſſib. prælato. ad c. 1. ext.

a *l. minimè. 23. ff. de legibus.*

do consang.& affin. ad c. lator. 5. c. causam quæ. 7. ext. qui fil. sint legit. ad l. Titia. 39. ff. sol. matrim. Tum alibi. Video quidem Decium in quæstione, vbi de separatione coniugum agitur propter adulterium, eius esse sententiæ, quòd vterq; iudex tam secularis quàm Ecclesiasticus adiri possit. Item Iohannem Rupellan. quòd judex secularis possit statuere, vt vxor à marito, propter lepram ad tempus diuertat: sicut eos refert Did. Couarruuias, quos tamen ipse, & meritò, reiicit[b]. Vbi tamen de iure Matrimonij contrahendi vel distrahendi agitur, nullus, opinor, Interpretum est, qui hanc quæstionem ad tribunal seculare referendam existimet, vt vel hinc discamus non immeritò eos anathemate perstringi à Concil. Tridentino, qui asserunt causas Matrimoniales nō spectare ad iudices Ecclesiasticos[c]. Verùm argumenta Aduersarij videamus.

b *Couarru. in 4. decretal. in 2 parte. cap. 7 §. 6. nu. 4.*

c *Sess. 24. can. 12.*

ITAQVE duobus modis Aduersarius noster demonstrare contendit; causas Matrimoniales non pertinere ad Ecclesiasticum tribunal. Vno: argumentis quibusdam ab ipso nunc primùm obseruatis, *& certis*, vt ait, *vetustatis fide subnixis*. Altero: conuitiis in Pontifices, in Romanam Sedem, in ius Pontificium, in Catholicam religionem, & in Catholicæ religionis ordines; in quibus solent hostes orthodoxæ fidei, vel præcipuè sedem eruditionis suæ collocare.

QVOD igitur ad argumenta attinet. Primum hoc est: *Ius Connubij apud Ethnicos pertinebat ad magistratum politicum. Ergò etiam apud Christianos.* Egregia collectio; quasi Christiana Resp. ad exempla

Eth-

Ethnicorum conformanda sit. Eodem argumenti genere vti licebit: Apud Ethnicos in contrahendis nuptiis adhibebantur auspices, coëmptio siue confarratio; in dissoluendis nuptiis diffarratio vtriusq; voluntate[d], vel etiam altero inuito per libellum repudij[e]. Ergo etiam apud Christianos hæc recipienda sunt. Cùm igitur hæc consequentia non valeat, nec sua vllâ ratione defendi poterit.

SED nè consequentiam tantùm examinemus, videamus & antecedens. *Apud Ethnicos*, inquit, *pertinebat ius Connubij ad Magistratum politicum*. Sed non ad solum, vt tu ipse fateris; Cur igitur iam soli Magistratui politico causas Matrimoniales asserere tentas? profectò hac in re deterior Ethnicis & infidelibus, qui Sacerdotes & Pontifices suos à contractibus nuptialibus diiudicandis & legumlatione temperandis, non arcebant, tum rituum & auspiciorum gratia, tum quia nuptiæ diuini & humani iuris communicatio habebantur[f]. Imò quo iure nuptiæ ineundæ essent, quæ ducenda, & quâ solemnitate; Pontificij iuris erat, vti Iacobus Cuiacius rectè colligit ex Tit. ff. de ritu nuptiarum, quod *Pontificale verbum est*, inquiens[g]. Item ex Tacito lib. 1. & ex Dione lib. 48. Neque hoc diffiteris. Nam abducta Neroni vxore prægnante, legimus consultos à Tiberio Pontifices; an concepto, necdum edito partu ritè nuberet, respondisse; si dubitetur an sit prægnans; non ritè; si certum sit non esse prægnantem, ritè[h]. Consuluit Pontifices, *ait Cuiacius*[i], quòd ritus nuptiarum à iure Pontificio peteretur. Tu verò improbas: *Hoc*

d *de quibus latè apud Alexand. ab Alexā. in Genial. dier. lib. 2. cap 5. & ibid. Tiraquell. Item apud Barnab. Brisson. lib. sing. de ritu nuptiar.*

e *l. 2. & passim. ff. de diuort.*

f *l. 1. ff. de ritu nup.*

g *Cuiacius lib. 6. obs. cap. 32. & in Paratit. ff. eod.*

h *Tacitus & Dion locis citatis.*

i *d. obs. 32.*

quale sit, inquiens, *dicere nihil attinet.* Imò attinet, cùm ex eo corruat tuum antecedens. Ex hoc igitur, aliisque, quæ diximus, cuiuis manifestum fit, Ethnicos non nisi secundum leges iuris Pontificij nuptias iniuisse & celebrâsse. Nec à vero abhorret, pleraque quæ sub tit. de ritu nuptiarum in Digestis extant, ex iure Pontificio Ethnicorum, in ius Ciuile translata esse. Nec adsciscebantur Sacerdotes & Pontifices, vt exponerent quid facto opus esset ex iuris Ciuilis regulis, sed quid faciendum esset ex præscripto iuris Pontificij, quod non modo ipsorum Pontificum & Sacerdotum Matrimonium moderabatur, sed & aliorum cuiuscunq; status & conditionis hominum [i].

i *Cuiacius d. obs.* 32.

ITAQVE tuo argumento contrarium oppono: *Ne apud Ethnicos quidem pertinebat cognitio causarum Matrimonialium ad solum Magistratum politicum. Falsum est igitur, quod in hoc tuo primo argumento temerè contendis.*

SECVNDVM argumentum. *Apud Imperatores etiam Christianos non habebantur causæ Matrimoniales pro sacris aut spiritualibus: ergo notio rerum Matrimonialium pertinet ad Principes seculares.* Antecedens huius argumenti esse falsum, conuincit vel Caroli V. declaratio facta in Comitiis Augustánis, & ibidem publicata & acceptata ab Ordinibus Imperij, anno 1548. vbi sub tit. de sacrament. in genere, disertè inter septem sacramēta à Christo instituta, recenset Matrimonium. Idem separatim sacramentum esse asserit ibidem, tit. de sacramento Matrimonij. Nonne & alibi Matrimonium sanctum vocat

vocat idem Imperator?[k]. Et certè omnes retrò Principes Christianos & orthodoxos idem agnouisse & professos esse, saltem tacitè, certissimo argumento est; quod illi semper idem senserint cum Ecclesia Catholica eiusq; auctoritatem reueriti sint. At Ecclesia Catholica perpetuò Matrimonium pro sacramento habuit, sicut ex sanctis Patribus, præter alia sacræ scripturæ loca & rationes, luculenter probāt Ill.mus Cardinalis Bellarminus[l], & Clariss. Theologus Gregorius de Valentia[m], ad quos lectorem breuitatis causâ remittimus. Quorsum enim illa Grat. Valent. & Theodosij Impp. constitutio. *Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam D. Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio vsq; adhuc ab ipso insinuata declarat, quamq; Pontificem Damasum sequi claret*[n]? Item illa Honorij & Theodosij Impp. *Omni innouatione cessante, vetustatem & canones pristinos Ecclesiasticos, qui vsq; nunc tenuerunt, etiamper omnes Illirici prouincias seruari præcipimus*[o]? Item illa Iustiniani Imperatoris ad Iohannem Episcopum vrbis Romæ: *Quoniam semper nobis fuit magnum studium, vnitatem vestræ Apostolicæ Sedis, & statum sanctarum Dei Ecclesiarum custodire*[p], de quo tamen infrà latius. Item illud Caroli Magni Imp. *In memoriam B. Petri Apostoli, honoremus sanctam Romanam & Apostolicam Sedem, vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis*[q]. Quorsum, inquam, illa & simlia Impp. Christianorum, quæ ad asserendam Ecclesiæ Romanæ & SS. canonum auctoritatem ab iis profecta sunt, si non

k *in ordinatione iudicior. pœnal. tit. 121.*

l *de Matrimonio. cap. 2. cum seqq.*

m *tomo. 4. disput. 10. q. 1. puncto. 5.*

n *l. 1. C. de summa Trinit.*

o *l. omni innouatione 6. C. de SS. Eccles.*

p *l inter claras § nos reddentes. C. de summa Trinit.*

q *extat in c. in memoriam. dist. 19. & apud Naucleru vol. 2 gen. 28.*

si non idem cùm Ecclesia senserint? Quamuis Theodosius cum Collegis suis Impp. & Iustinianus huius rei immemores aut ignorantes, de Matrimonio quoq; leges ediderint, contra præscriptum sacrorum canonum de quo fusius ad tertium argumentum. At in Ecclesia Matrimonium pro Sacramento semper agnitum fuisse probant, vt antè dixi, apertè Bellarminus & Gregorius de Valentia.

Attamen ne sine ratione Aduersarius ratiocinari videatur, probat antecedens secundæ suæ argumentationis hoc modo: *Causæ Matrimoniales non sunt habitæ pro religiosis & spiritualibus: quia ius connubij vel est iuris gentium, vel iuris ciuilis.* Sed cur non etiam iuris naturalis. Nonne apertè Vlpianus Matrimonium ad ius naturale refert, dum inquit: *Ius naturale est, quod natura omnia animalia docuit, nam ius istud non solùm humani generis proprium est, sed omnium animalium, quæ in terra mariq; nascuntur, auium quoque commune. Hinc descendit maris atq; fœminæ coniunctio, quam nos Matrimonium appellamus: hinc liberorum procreatio, hinc educatio* [r]. Idem iisdem ferè verbis Iustinianus[s]. Cur non idem diuini iuris: an nescis Matrimonium à Deo institutum esse[t]; *Non est bonum.* inquit Deus, *hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.* Et paulò post, inquit Adam; *Quamobrem relinquet homo patrem suum & matrem & adhærebit vxori suæ.* Quæ verba licèt ab Adamo pronunciata sint, ea tamen Christus Matth. 19. tribuit Deo: quod Deus per os Adami illa verba protulerit. Item eodem 19. cap. apud Matth. *Quod ergo Deus*

r tex. in l. 1. §. huius studij ff. de iust. & iure.
s Tit. Instit. de iure natur. in princ.
t Genes. 2. cap.

Deus, ait Christus, *coniunxit, homo non separet.* Scio Caluinum, cuius spiritum redolere videtur Aduersarius noster, sacramenti rationem non magis tribuisse Matrimonio quàm agriculturæ, aut tonstrinæ, aut sutoriæ arti [u]. Cuius imperitiam optimis argumentis detegit & refellit Bellarminus [x]; & seipsos Ministri Caluinianæ sectę redarguunt dum suos in foribus Ecclesiæ palàm & solennitèr coniungunt: quasi aliquid diuinæ gratiæ contractu Matrimonij contineri tacitè profiteantur: cur enim idem non faciunt, vbi agriculturæ, tonstrinæ vel sutoriæ arti seipsos vel alios applicant?

u *lib. 4. Instit. cap. 19. §. 34.*

x *5 citato loco.*

FATEMVR quidem Matrimonium non minus esse iuris gentium, quòd ab omnibus gentibus receptum sit: at iuris Ciuilis negamus inter Christianos, qui Catholicæ Ecclesiæ legibus viuunt. Quod enim quidã legislatores politici apud Christianos tentauerint certam formam Matrimonio præscribere, id, vt paulo post dicemus, sine iure fecerunt, falcem in alienam messem mittendo.

TERTIVM argumentum. *Christiani Principes iusserunt Iudeos Romanis moribus facere & seruare connubia, lege eorum vernacula, hac in parte, sepositā* [y]. *Imò Iustinianus, & alij Impp. etiam Greci posteriores, plurimas leges de Matrimonij contractu ediderunt, quod notissimum est omnibus illis, qui vel à limine ius Ciuile, Codicem, inquam, & Nouellas salutârunt, quidq; Nouellas itidem recentiorum Greciæ Impp. euoluerunt. Quo igitur iure subtrahitur hoc ius Impp. & Principibus, solisq; Ecclesiasticis tribuitur?* Iam antè probatum est, Matrimonium esse sacramentum, & consequentèr ad Eccle-

y *L. nemo C. de iudæis.*

Ecclesiasticos iudices & legislatores pertinere, etiam teste quodammodo Iustiniano Imperatore, dum ea, quæ diuina sunt, sacerdotio à Deo cōcessa esse assereit, quæ humana, Imperio [z]. Quapropter rectè Nicolaus Papa ad Michaëlem Imp. *Hi*, inquit, *quibus tantùm humanis rebus & non diuinis præesse permissum est, quomodo de his per quos diuina ministrantur, iudicare præsumant, penitus ignoramus* [a]. Neque mouent exempla Christianorum Impp. in hoc argumento adducta. Quod enim Iudæi Romanis moribus, non Iudaicis, matrimonia inire iubeantur, nihil officit causæ nostræ: siquidem extra Ecclesiam sunt Iudæi, ac proinde eorum matrimonia non Sacramentum, sed contractus ciuilis est; vnde rectè Princeps secularis legem in contrahendo matrimonio illis præscribere potest, non obstante lege Mosaica, quæ per mortē Christi abolita est. Qua ratione & alia Impp. constitutio defenditur, qua interdictum est Iudæis matrimonium cum Christiana, & Christianis cum Iudæa [b]: eò quòd Iudæi legibus Impp. subiecti sint etiam quoad matrimonium, vt iam dictum est, adeoque inidonei ad contrahendum matrimonium, reddi possint; licèt diuersum sit in Christianis, qui tamen quòd Iudæi prohibeantur contrahere, in consequentiam quoq; adimitur illis potestas contrahendi cum Iudæis: quippe matrimonij contractus vtrinque personas ad contrahendum idoneas requirit.

z Nouell. 6. Quomodo oport. Episco. in princ.

a c. denique. dist. 96.

b in l. nequis. C. de iudæis.

QVOD verò Iustinianum concernit, qui crebriùs excurrisse videtur extra suum forum, ad forum

rum Ecclesiasticum, ea sibi vsurpando, quæ iuris Ecclesiastici sunt. Sunt qui existimant Iustinianum (vt & alios Principes sed rarius) de rebus Ecclesiasticis leges tulisse, sed cum subordinatione (vt loquuntur) ad Magistratum Ecclesiasticum, cuius iudicio omnia sua decreta subiecerit. Quorum sententiæ non parùm probabilitatis accedit, quod Iustinianus sæpiùs profiteatur. sibi in sanctionibus nihil aliud propositum esse, quàm vt SS. canones accuratè obseruentur, neq; se aliquid noui facere, sed quod sacris Conciliorum & Patrum canonibus iam antea constitutum erat, renouare & instaurare velle, vt Imperatoria Maiestate ad Ecclesiasticam accedente, eò celerior SS. canonum executio apud subditos subsequeretur[c]. Quod inde etiam planum fit, quòd Iohannes Pontifex Maximus in Epistola ad Iustinianum, laudet eundem, quòd cuncta Sedi Apostolicæ subiiciat, eamque caput omnium Ecclesiarum agnoscat. Et ipsemet Iustinianus in eadem epistola ad eundem Iohannem ait: Romanam Ecclesiam esse caput omnium Ecclesiarum: *Nec enim patimur*, inquit, *quicquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamuis manifestum & indubitatum sit, quod mouetur, vt non etiam vestræ innotescat sanctitati, quæ caput est omnium sanctarum Ecclesiarum.* Quod si Iustinianus hoc animo fuit in Sedem Apostolicam, dubitandum non videtur, quin etiam leges suas de rebus Ecclesiasticis editas eiusdem Sedis censuræ submiserit.

c *Nouella* 3. 6. 123. & 127.

FORTASSE hic Aduersarius contra episto-

las illas Ioannis & Iustiniani excipiet, secutus Hottomannum, eas suppositititias esse. Sed non ante fidem faciet, quàm si prius, fideliter dissoluerit argumenta, quæ pro harum epistolarum authoritate adducunt Alciatus[d], Cuiacius[e], Illustrissimus Baronius[f], Fachineus[g], & alij. Præterea, nisi prius ipsum Iustinianum falsi arguat, cùm se ad Iohannem scripsisse testatur his ad Epiphanium Constantinopolitanum verbis, in literis eo ipso anno datis[h]: *Cognoscere volentes tuam Sanctitatem ea omnia, quæ ad Ecclesiasticum spectant statum, necessarium duximus, hisce ad eam vti diuinis compendiis ac per ea manifesta eidem facere, quæ iam moueri cœpta sunt, quanquam & illa eandem cognoscere sumus persuasi. Cùm ita comperissemus quosdam alienos à sancta Catholica & Apostolica Ecclesia impiorum Nestorij & Eutychetis secutos deceptionem, diuinum antehac promulgauimus edictum (quod & tua nouit Sanctitas) per quod hæreticorũ furores reprehendimus: ita vt nullo quouis omninò modo immutauerimus, immutemus, aut prætergressuri sumus; eum qui nunc vsq; adiuuante Deo seruatus est, Ecclesiasticum statum, quemadmodum & tua nouit sanctitas, sed in omnibus seruato statu vnitatis sanctissimarum Ecclesiarum cum ipso sanctissimo Papa veteris Romæ, ad quem similia hisce perscripsimus. Nec enim patimur, vt quicquam eorum, quæ ad Ecclesiasticum spectant statum, non etiam ad eiusdem referatur beatitudinem, cùm ea sit caput omnium sanctissimorum Dei sacerdotum: vel eo maximè, quod quoties in his locis Hæretici pullulârint, & sententia & recto iudicio illius Venerabilis Sedis correcti sint.*

d lib. 4. parerg. cap. 2.
e lib. 12. obs. cap. 26.
f tomo 7. anno Christi. 534.
g lib. 8. controuers. iuris. cap. 1.
h l. 7. C. de summa Trinit. in editione Parisiensi apud Niuellium, Anno 1576.

ALII verò respondent[i]; Iustinianum has leges

i Vide latè Baronium tomo 7. anno Christi 528. cum seq.

ges tulisse consensu Episcorum, maximè Epihanij Archiepiscopi Constantinopolitani, & eius quem successorem habuit, Mennæ, quas libentiùs illi edi voluerunt, nomine ipsius Imperatoris, vt validioris obseruantiæ essent: Ita quod per Iustiniani os, Episcopi Constantinopolitani locuti sint, & quotquot de fide catholica & disciplina Ecclesiastica latæ leges à Iustiniano reperiuntur, tot sint eorundem Antistitum decreta. Verum enimuerò, vt hoc de quibusdam decretis & constitutionibus Iustiniani verè affirmetur; attamen de omnibus id verum esse, nunquam mihi quisquam persuaserit: nisi Episcopos Orientis, præsertim qui Sedem Constantinopolitanam tenuerunt viuente Iustiniano, aut ignorantissimos, aut intollerabilis cuiusdam adulationis, vel potius timiditatis reos facere velimus. Quis enim credat, nonnulla, quæ Iustinianus sanxit circa matrimonium, iuri diuino & SS. canonibus aduersa, Episcoporum consensu promulgata, probata & firmata fuisse? Qui repudium inter coniuges, non modò tolerauit & permisit tanquam minus malum, sed & certas causas constituit, ob quas repudium alter alteri coniugum mittere posset; missoq; repudio Matrimonium verè dissolui credidit: Vt si maritus contra Imperium consilium captauerit, vel captantibus aliis Imperatori non prodiderit: si vxoris vitæ insidiatus fuerit, vel etiam castitati, alteri, videlicet eam adulterandam tradendo: si de adulterio inscripserit vxorem, sed probatione defecerit: si cum aliâ muliere domi vel foris rem habuerit, &

 moni-

monitus non destiterit. Ex his enim causis mulieri à marito suo diuertere licebat ex lege Iustiniani. Idem ius erat marito in vxorem suam; si ipsa vel adultera esset, vel conscia eorum, qui contra Imperium aliquid moliebantur, & marito non indicasset, vel vitæ mariti insidias struxisset, vel inuito marito conuiuia instituisset, siue foris pernoctâsset, aut ludis circensibus siue theatralibus interfuisset[k]. Et licèt ante Iustinianum plures huiusmodi causas repudij induxerint Theodosius & Valentinianus Impp.[l] nemo tamẽ non videt, quin hæ omnes cum lege Euangelica pugnent[m].

k hæ causæ recensentur in § causas autem & §. quia verò plurimas. Nouell. 117. vt liceat matri & auiæ, &c.

l l. consensu. 8. C. de repud.

m Matthæi 19.

VT ergo paucis rem absoluam, fateor me non inuitum ire in illorum sententiam, qui dicunt Iustinianum in legibus Ecclesiasticis condendis nimium fuisse, & terminos iurisdictionis suæ excessisse, dum tulit huiusmodi leges, aut ex earum præscripto siue per se, siue per alios magistratus vel prouinciarum præsides, lites enatas diremit. Quod vel ex ignorantia rerum Ecclesiasticarum, vel ex nimio zelo, sed non secundum scientiam accidisse, omninò crediderim. Vel certè Tribonianum, cuius in condendis legibus operâ, vel præcipuè Iustinianus vsus est, effectum fuisse; qui, vt Suidas & Hesychius auctores sunt, homo Ethnicus fuit; ac subsequenter res Ecclesiasticas more Ethnicorum ad Imperatoris tribunal reuocabat.

LOQVOR verò de illis legibus, quæ Ordines Ecclesiasticos, Sacramenta, aliasq; res spirituales & subsequenter Matrimonium concernunt, quæ iure diuino à potestate & iurisdictione Principum

&

& magistratuum secularium exemptæ sunt, sed ad solam Ecclesiasticam potestatem pertinent, sicut pluribus docent Bellarminus[n] & Did. Couarruuias[o]. Nam aliæ leges quæ agunt de rebus Ecclesiarum temporalibus, vel etiam de personis Clericorum, non negauerim tempore Iustiniani, aliorumque Impp. constitisse & vigorem suum habuisse, quamuis ab iisdem variis immunitatibus donatæ sint. Hodiè verò beneficio subsequentium Impp. & SS. Canonũ prorsus exemptæ sunt. Quod hîc non attinet persequi, sufficit enim nobis probâsse Matrimonij causas, cum spirituales sint, ad Ecclesiasticum non seculare tribunal pertinere[p].

OBIICIT: *Magistratus secularis cognoscere potest de iuramento & vsuris. Ergo etiam de Matrimonio.* De vsuris res vt scis controuersa est apud Doctores quorum alij asserunt, alij negant earum cognitionem ad Magistratum secularem pertinere: alij verò distinctione vtuntur[q]. Quoad iuramentum; apud nos exploratius est, notionem eius ad solum Ecclesiasticum iudicem spectare[r]; licet executio tàm vsurarum quàm iuramenti ad vtrumq; forum referri possit[s]. Absolutionem quoque à iuramento propius existimamus à solo Ecclesiastico iudice impetrari debere[t].

QVID si demus vsuras esse mixti fori. Itemque Magistratum secularem habere ius relaxandi iuramentum quoad effectum agendi. Quid tum postea? Infers: *Ergo etiam in Matrimonio.* At inanis hæc consequentia est, quæ aliter tibi probanda est. Matrimonium Sacramentum est certò apud

n lib. 1. de Clericis. cap. 28.

o pract. quæst. cap. 31. vers. prima conclusio. vbi & Marsilij Paduani sententiam cõtrariam ab Ecclesia explosam testatur.

p sed latius vide apud Couarru. & Bellarmin. iam allegatis locis.

q Vti videre est apud Did. Couarruuiã varia resolu. lib. 3. cap. 3.

r ex c. venerabilem 34. ext. de electio. c. nouit. 13. ext. de iudiciis.

s c. 2. de iureiurando. lib. 6.

t ex d. c. venerabilẽ.

Christianos, res sancta; vnde ad prophana tribunalia nullo modo trahi potest, sicut nec alia Ecclesiæ Sacramenta. Quod cùm testatissimum sit & ex Concilio Tridentino [u]; reddenda erit tibi ratio inter Concilium Chalcedonense, quod libenter amplecteris: eò quod approbatum sit lib. 1. Cod. & Concilium Trident. in quo tota hæc disputatio sublata est de Matrimonio; cur stari non debeat hac in re & Concilio Trident. Inquies, Martianum Imp. Concilio Chalcedonensi interfuisse. Esto. Sed audias contestationem eiusdem Martiani. *Nos ad fidem*, inquit, *confirmandam, non ad potentiam ostendendam exemplo religiosissimi Principis Constantini Synodo interesse voluimus, vt inuenta veritate; non vltrà multitudo prauis doctrinis attracta discordet* [x]. Meminisse te oportet, quod anteà recitauimus ex Iustiniani Nouella Sacerdotium diuinis siue spiritualibus rebus à Deo præpositum esse, Imperium verò rebus humanis [y]. *Noli te grauare Imperator*, inquit Ambrosius Valentiniano Imperatori, *vt putes te in ea quæ diuina sunt Imperiale aliquod ius habere, noli te extollere, sed si vis diutiùs imperare, esto Deo subditus. Scriptum est, quæ Dei Deo, quæ Cæsaris Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum* [z].

[u] Sess. 24. can. 12. & cap. 10. de refor.

[x] extat in c. nos ad fidem. dist. 96.

[y] Quomodo oport. Episcop. in princ.

[z] textus est in c. conuenior. §. allegatur, 23. q. 8.

QVARTVM argumentum. *Principes aditi in causis & controuersiis Matrimonialibus, non abdicârunt à se eam curam, sed has causas & quasuis alias ad competentem iudicem remiserunt, cuius porrò solertiâ causis examina-*

minatis, vel conferebantur Matrimonia vel diuidebantur. Pertinent ergò causæ Matrimoniales ad Principes & Magistratus politicos. Respondeo, hoc argumento tantùm probari, quid Principes fecerint de facto, non quid de iure. At in ea quæstione versamur; quid de iure possint Principes. Deinde quæro, Vnde scit Aduersarius, Principes semper aditos fuisse, cùm contrauersiæ Matrimoniales extitêrunt. Certè Apostolus[a] causam Matrimonialem inter fidelem & infidelem, non reiecit ad Magistratum politicum, sed ipsemet cognouit. Hymerius item Episcopus Tarraconensis non adiit Imperatorem, quæsitum, *num puellam alteri desponsatam alter in Matrimonium accipere possit*, sed adiit Siricium Papam. Hic verò non consuluit Imperatorem, sed sua auctoritate quid iuris esset, ipse rescripsit[b]. Euaristus Papa scribens ad Episcopos Africæ, Imperatorem non adiit, vt eius iudicium postularet de clandestinis Matrimoniis, sed ipsemet tanquam legislator id definiuit[c]. Vt & Hormisda Papa, qui de Matrimoniis clandestinis, neque Iustinum, neque Iustinanum tunc aulæ Constantinopolitanæ adhuc procerem, consuluit, sed ipsemet hoc decretum tulit: *Nullus fidelis cuiuscunque conditionis sit, occultè nuptias faciat, sed benedictione accepta à Sacerdote publicè nubat in Domino*[d]; Et Nicolaus Papa ad consulta Bulgarorum: *Ita, inquit, diligere debet homo eum, qui se suscipit de sacro fonte, sicut patrem.*

Est

a 1. Corinth. 7.

b c. de coniugali. 27. q. 2.

c c. aliter. 30. q. 5.

d c. nullus ead. q. 5.

Est inter fratres & filios spirituales, gratuita & sancta communio qua non est dicenda consanguinitas, sed potius habenda spiritualis proximitas; vnde inter eos non arbitramur posse fieri quodlibet tale coniugium[e]. Ecce Bulgari Pontificem, non Imperatorem adierunt. Extat & Gregorij epistola ad Mauritium Imperatorem; de quodam Comite, qui nepotis sui mortui desponsatam, duxerat in vxorem; in hæc verba: *Qui desponsatam puellam proximi sui acceperit in coniugium, anathema sit ipse, & omnes consentientes ei, quia secundùm legem Dei mori decernitur.* Et infrà: *Sicut nulli Christiano licet de sua consanguinitate, vel quam cognatus suus habuit, in Matrimonium assumere, ita & de consanguinitate vxoris suæ*[f]. Addo alteram Nicolai ad Carolum Regem: *Scripsit nobis Thietberga Regina; se regia dignitate vel maritali copulâ velle exui, & solâ vita priuata esse contentam desiderare. Cui nos scripsimus, non alitèr hoc fieri posse, nisi eandem vitam coniunx eius Lotharius elegerit*[g]. Innumera alia exempla hûc adferri possent, si necesse esset, quibus apertè euincitur, Principes in causis Matrimonialibus, non tam aditos fuisse, quã ipsos potius adiisse Pontificem. Quod & hodiernus vsus comprobat inter Principes. Falsum igitur est, quod assumis, *Principes aditos in causis & controuersiis Matrimonialibus, eos ad competentes iudices remisisse, & ex horum consilio, Matrimonia vel contulisse vel diuisisse.* Cùm hæc res semper fuerit Conciliorum & Pontificum, quorum Canones & responsa innumera extant in decreto Gratiani[h]. Nec hi responderunt vt Consiliarij Imperatoris aut Assessores, sed partim vt Iudices, quidnam secundùm legem

e c. ita diligere. 30. q. 3.

f c. qui desponsatam. 27. q. 2.

g c. scripsit nobis. 27. q. 2.

h 27. q. 1. 2. & 3. cũ aliquot causis et quæst. seqq. & lib. 4. decretal.

legem diuinam & Canones Maiorum faciendum esset, partim vt legislatores sancientes nouos Canones vel statuta, sicut patet ex *can. coniunctiones 35. q. 2.* tum ex aliis locis infinitis apud eundem Gratianum. Adeoque responderunt vt etiam illa, quæ à Principibus constituta essent, ipsi auctoritate sua reiicerent vel immutarent; vti constat ex *c. quædam lex. 35. q. 2. & 3.* Idque suo iure facere potuerunt; cùm cura Sacramentorum non Principibus, sed D. Petro eiusque successoribus Summis Pontificibus commissa sit à Domino. *Pasce oues meas*[i]. Quod verò Ecclesia nonnullas Principum leges siue constitutiones in causis Matrimoniorum retineat, veluti in cognatione legali; id non ex auctoritate Principũ fit, sed ex benignitate & approbatione Ecclesię, cùm videat eas à Christianis moribus non abhorrere[k].

i *Iohannis 21.*

k *c. vnico ext. de cognat. legali.*

QVINTVM argumentum. *In toto titulo de Episcoporum audientia & diuersis capitulis, quæ ad curam Episcoporum pertinent, nihil penitus agitur de causis Matrimonialibus, quasi ad Episcopos spectent. Non pertinent ergo ad Episcopos.* Respondeo, argumentum ab auctoritate negatiua ductum nullius esse momenti; vti apud omnes in confesso est. Quod siquis ita argumentaretur: *Iustinianus non attribuit Episcopis curam audiendi & definiendi causas Matrimoniales, Non igitur ad illos pertinet*; Is adhuc ineptior esset. Quasi verò Episcopi à Iustiniano potestatem spirituales & Ecclesiasticas controuersias cognoscendi & diiudicandi accipere debuerint. A quo, quæso, habuerunt suam potestatem antequam Iustinia-

 nus

nus titulum *de Episcopali audientia* ederet, & velut pensum cuiuis suum distribueret. Quid? quod in hoc ipso titulo Iustinianus causas Matrimoniales ab Episcoporum audientia non ablegat. Quia ad Episcopum pertinet cognoscere, si sponsus aut sponsa post sponsalia arrhasq; datas conditioni renunciare velit, ob religionis diuersitatem[1]. Respondet Aduersarius, *speciale esse in istis causis, vt coram Episcopo potius, quàm coram præside expediantur, propter causam hæreseos, rem notionis Ecclesiasticæ, & ob conditionem Monachismi.* Fateris ergo rem spiritualem vt est crimen hæreseos, & status Monasticus, non pertinere ad Iudicem politicum. At Matrimonium apud Christianos etiam res spiritualis est, quia Sacramentum. Non ergo pertinet ad Iudicem politicum, sed ad Ecclesiasticum. Deinde si Iustinianus ideò ad Episcopalem audientiam amandauit quæstiones de diuersitate Religionis & statu Monastico, quasi ad suam iurisdictionem non spectantes, cur tot constitutiones de Hæreticis, cur tot Nouellas de Monachis & Monachorum disciplina sanciuit? Aut igitur æquè ac Matrimonij, notionem hæreseos & Monachismi ad suum tribunal pertinere putauit, aut certè in illis constitutionibus plus Episcopis tribuere voluit, quàm tu velis.

1 *l. si legibus. C. de Episcopali audient. l. Deo. C. De Episcop. & Cler.*

QVOD autem in *l. 25. C. de nuptiis.* Præsidibus & Antistibus locorum facultatem concedat, vt ipsi de dote filiæ hominis furiosi, constituere possint: id fatemur eum iure fecisse, vel certè face-

re po-

re potuisse. Cùm quæstio constituendæ dotis politica sit. Quod si voluisset, Episcopum non posse facere potestatem Matrimonij ineundi liberis furiosi vel amentis, nisi priùs potestate à se acceptâ, vehementèr deceptus fuisset; siquidem nec leges diuinæ nec Ecclesiasticæ Matrimonio huiusmodi liberis interdicunt; ita vt non opus fuerit decreto Imperatoris, multoq; minus, vt eius concedendi vel coniungendi Episcopus facultatem ab Imperatore acciperet [m].

[m] *argum. l. cùm fine 11. in princ ff. de Carb. edicto. & l. in causa. 17. in princ. ff. de minorib.*

SEXTVM argumentum. *A Constantino Magno vsque ad Iustinianum, & ab hoc vsque ad posteriores Principes; imò ad Carolum Magnum vsque moris fuit, vt de Connubiali contractu Principes ferrent leges; quod Nouellæ Leonis Imper. testatum faciunt, vt & leges Carolinæ Longobardicæ & Gothicæ. Non igitur ad Ecclesiasticos hæc potestas pertinet.* Tulerint, quid tum? Sed iure eos tulisse demonstrandum esset. Ego non à Constantino, sed ab Apostolis & Pontificibus Constantino antiquioribus, vsque ad posteriora tempora, argumento ducto, multo firmius ratiocinabor, hunc in modum. Antiquissimi Pontifices vsque ad illos, qui tempore Caroli Magni, Gothorum & Longobardorum Ecclesiam administrarunt, responderunt de causis Matrimonialibus vt iudices, & decreta ediderunt vt legislatores; Ad illos igitur potiùs censendum est, hanc curam pertinere, quàm ad Principes politicos. Antecedens probatur ex D. Paulo 1. Corinth. 7. & ex canone Apostolorum quinto, suprà à me citato, ex can. de propinquis. can. qui propriã. 35. q. 2. ex can.

 con-

consanguineos. 35. q. 6. qui omnes sunt Fabiani S. Pontificis in re Matrimoniali, quique Constantinum Magnum antecessit. ex can. presbyter. dist. 28. ex can. de his. 31. q. 1. qui sunt Concilij Neocęsariensis sub Melchiade S. Pontifice celebrati, ante Constantini imperium. ex c. alitèr. 30. q. 5. qui canon est Euaristi Papæ diu ante Constantinum. Omitto alios Pontifices, qui circa eadem tempora vixerunt aut postea subsequuti sunt vsq; ad Carolum Magnum & deinceps, quæ beneuolus lector inueniet fusè apud Gratianum[n]. Qui verò Principes Christiani de Matrimonio leges ediderunt, id vel consensu Ecclesiæ factum est, vt non tàm leges quàm Ecclesiasticarum constitutionum munimenta & firmamenta essent, vel si sua auctoritate eas condiderint & promulgârint, plus sibi quàm fas erat, arrogâsse, vt latiùs suprà dictum est[o].

LEGVM Carolinarum quare memineris, non satis assequor; cùm ipsemet Carolus in præfatione illarum, disertè fateatur, se nihil præscribere, nisi quòd Canones iubeant & Episcopi approbent[p].

LEGES Longobardicas ideò fortaſsè adduxisti, quia Matrimonium *cum matrina, filiastra vel cognata* illicitum nominant. *Quia & Canones sic habent*, inquit Luitprandus Rex[q]. Quod tamen apud Lutheranos & Caluinianos legitimum est Matrimonium. Fortè ideò etiam meministi harum legum, quia prohibent, ne quis ducat *commatrem suam, nec filiam quàm de sacro fonte suscepit*. Et hoc idcirco; quia Canones id prohibent[r]. Forte &

n can. 27. q. 1. & sequentibus passim.

o ad 3. argumentum.

p vide leges Francicas editas à Pitheo & Heroldo.

q leg. Longobard. tit. 24. de anno 11. Regni Luitprandi.

r c. 1. 2. 5. 30. q. 1.

& ideò; quia Luitprandus Rex, nominat in illis *Papam Vrbis Romæ caput Ecclesiarum Dei & Sacerdotum, qui in omni mundo sunt*, publiceq; fatetur se ideò prohibuisse Matrimonium *cum relicta de consobrino aut sobrino; quia Papa Vrbis Romæ, id vt faceret, mandauerit & monuerit*. Denique non video, qua de causa leges Carolinas & Longobardicas adduxeris, quàm vt simul ostenderes subditos Caroli Magni & Longobardos, longè fuisse alienos à secta Lutheranorum & Caluinistarum. Quia leges illæ sunt plenæ Monachis, Monialibus & Monasteriis, Sacerdotibus & Episcopis, & Ecclesiis in honorem D. Virginis & aliorum Cœlitum dedicatis; item reliquiis & cultu reliquiarum, quarum apud vos ne quidem vestigium superest.

SEPTIMVM argumentum. *Imperatores & Magistratus politici, adhibuerunt in causis Matrimonialibus Theologos, Religiosos, Synodos & Concilia Patrum, tanquam legis diuinæ, & publicæ honestatis interpretes, & vt Doctores, & Consiliarios, non autem vt iudices, definitores, & legislatores. Ergo, &c.* Respondeo, falsum esse antecedens, nec vllam eius probationem video, nisi fortè quęrere sit probare. Ais enim: *Quomodo defendi potest, Pontifici licuisse earum rerum notionem sibi sumere, de quibus Imperatores prius cognouisse & & iudicâsse, ex omni antiquitate constat, vel derogare legibus Impp. Christianorum, qui à Deo ordinati, & citra controuersiam rerum potiti, populis subiectis iura sine exceptione dabant?* Ego vicissim quæram; Quomodo defendi potest, Magistratui politico licuisse earũ rerum notionem sibi sumere, de quibus Ecclesia-

ſticum Magiſtratum, prius cognouiſſe & iudicâſſe, ex omni antiquitate conſtat; vel derogare legibus Conciliorum, & Pontificum Chriſtianorum, qui & à Deo ordinati, & citra controuerſiam, rerum Eccleſiaſticarum potiti, Chriſtianis iura ſine exceptione in rebus ſpiritualibus dabant? Nam veteres Pontifices & Patres Conciliorum, non fuiſſe Interpretes & Conſiliarios Magiſtratuum politicorum, partim inde patet, quia multa ediderunt decreta Matrimonialia, antequam Impp. & Principes Chriſtianis ſacris imbuerentur, vti ſuprà oſtendimus[s]: partim inde, quia verbis illis vtuntur, quibus legislatores vti ſolent, *ſtatuimus, præcipimus, prohibemus ſub anathemate, &c.* & id genus aliis; non Conſiliariis, non Interpretibus, ſed legum conditoribus vſitatis.

s ad argumentum 6.

QVOD ais, olim inter Imperium & Sacerdotium, nullas controuerſias extitiſſe, ſed res omnes tranquillas & pacatas fuiſſe, id verum eſſe libenter fatemur: è contrà verò vehementèr dolemus, hodiè quoque eandem pacem, inter Imperium & Sacerdotium non durare; quò maiore odio digni ſunt illi, quicunque Magiſtratus politicos, aduerſus Sacerdotium, hoc eſt, aduerſus Summum Pontificem, & alios Eccleſiaſticos ordines commouent & irritant, nec mundum pacatum eſſe ſinunt, flagra diſſenſionum & turbarum.

QVOD autem S. Auguſtinus citat & probat legem quandam Antonini Imp. quâ vetat, ne maritus adulter adulteram vxorem accuſet; *vel vt am-*

bo

bo damnentur, si ambos pariter impudicos, conflictus ipse conuicerit [t]; id non indicio est, Episcopos Imperatori Consiliarios aut Assessores esse, sed rectè Episcopos huiusmodi leges comprobare. Nec enim inuiti fatemur, posse Principem secularem in re spirituali & Ecclesiastica, ad coërcendum eius abusum, & retinendum ciuilem disciplinam iuxta dispositionem Canonum, pœnam adiicere, & certum modum præscribere eius pœnæ persequendæ siue intentandæ, vt videre est in crimine adulterij, cuius pœnam à iure constitutam non improbant SS. Canones & in crimine hæreseos, & similibus.

t *S. Augustin. lib. 2. de adult. coniug. ca. 8.*

LVBET hîc ex aduersario quærere; Si leges Pandectarum, & Codicis, & Nouellarum Iustiniani in Matrimoniis constituendis, conferendis, dirimendis; & in causis Matrimonialibus definiendis, litibusq; componendis, adhibendæ sunt: Cur Lutherani & Caluiniani, illas non sequuntur? Cur Matrimonia, ex illarum legum præscripto nõ moderantur? Cur, si quando ab illis recidendum videtur, non petunt dispensationem ab Imperatore: cùm, vt iste ex suo Marsilio affirmat, ea quæ lege humana sunt prohibita, *ad solius legislatoris, aut ipsius Principantis auctoritatem pertineant?* Anne tam effrontes erunt, vt omnia illa, quæ de causis Repudij, & Diuortij statuit Iustinianus, ipsi opere exequantur? Cur Monachi & Sacerdotes ducunt vxores, contra tot edicta Iustiniani? Cur Moniales nubunt? Cur non obseruant illã legem, *Si quis alumnam, C. de nuptiis?* Cur non plurimas alias? Sed satis de

de Argumentis, audiamus iam conuitia, erroribus quibusdam, tanquam emblematis interspersa.

CONVITIA EIVSDEM IC. IN CATHOLICAM RELIGIONEM ET PONTIFICEM.

PRIMVM. Statum Ecclesiæ ante Lutherum & Caluinum, vocat *Regnum tenebrarum.* Vox seu noctuæ, seu vespertilionis, quibus si loquendi facultas esset, quid aliud dicerent, quàm meridiem esse statum tenebrarum, noctem statum lucis; quia ad splendorem lucis caligant, solis impatientes. *Væ illis*, clamat Propheta, *qui dicunt malum bonum, & bonum malum, tenebras lucem, & lucem tenebras. Adeonè sibi etiam mentiuntur (hæretici)* inquit Lactantius[u], *vt vicissim boni & mali nomina transferant & immutent? Quid ergò non diem noctem vocant, solem tenebras? Alioquin eadem impudentia est, bonis malorum nomen imponere, sapientibus stultorum; iustis impiorum.*

u lib. 5. Instit. c. 19.

QVOD verò potiùs per Lutherum & Caluinum, regnum tenebrarum introductum sit, liquet facilè ex fructibus, qui ex eorum prædicatione Euangelij subsequuti sunt. Cùm enim anteà inter Catholicos esset pax, summa animorum consensio, idem in religione sensus; benignitas, mansuetudo, quæ à D. Paulo inter opera Spiritus recensentur[x]; statim hæc omnia perturbari siue immutari

x ad Galat. 5.

tari cœpta sunt, ex eorum doctrina; & substitutæ inimicitiæ, cōtentiones, dissensiones, sectæ, æmulationes, quæ ab eodem Paulo Apostolo operibus carnis adscribuntur[y]. Ita quòd ex fructibus vtriusque regni, quod Lutherum & Caluinum antecessit, & quod posteà subsecutum est facilè est discernere, vtrùm eorum tenebrarum sit, id est, ab inferis excitatum. *Ex fructibus eorum cognoscetis eos*, inquit Saluator noster[z]. y ibid. ad Galat. z Math. 7.

SECVNDVM est, quod Ius Pontificium, Iuris nomine vix dignetur. *Si, inquit, ius vocandum est.* Si Ius Pontificium non est ius, cur ergo multi ex Lutheranis & Caluinianis, Iuris vtriusque Doctores sese appellant, & se ita appellari volunt? An non qui Iuris vtriusque Doctor dicitur, is Iuris Canonici seu Pontificij, & Cæsarei Doctor esse censetur? Nonnè eorum commentaria, responsa & consilia quæ extant publicè, respersa sunt iuris Canonici constitutionibus? Fortè quia à Luthero publicè Wittenbergæ Ius Canonicum exustum est, idcircò abolitum & sublatum credis. Non puto te ita insanire, vt tam impium facinus Lutheri comprobes, sed potius detesteris, vnà cum inclyto Collegio Iurisconsultorum almæ Ingolstadiensis Academiæ, quod pro suâ in SS. Canones pietate, in religionem Catholicam studio, & obseruantiâ in Summum Pontificem, tabulam huius detestationis indicem depingendam egregio opere & artificio curauit, eamq; in Academiæ loco consiliis Academicis destinato ad posterorum memoriam locauit & affixit, hac inscriptione:

Iudæi auratũ vitulum coluêre. Lutheri
Monstrosum at vitulum cæca caterua colit.

IVRIS PROFESSORVM COLLEGIVM INDIGNITATE REI MOtum F.C. Ingolstadij 1524.

De eodem facinore nõ ignobilis poeta ita cecinit.

Tot vigiles noctes, opposa volumina patrũ,
Vertit sacrilegos impius in cineres.
Vidistisne vnquam factũ sceleratius astra?
Quod fecit libris, ipse fuit meritus.
Pontifices olim Romanis Cæsaris ensis
Icit, & in solos sæuiit ira viros.
Heu æuum infelix, heu vltima nequitiarũ,
Nunc etiam libri martyrium subeunt.

Librvm, inquis, *primum Codicis Iustinianei, & vltimum Theodosiani vocare soleo nostrum ius Canonicum.* Ergò qui se Doctorem vtriusq; Iuris nominat, is tuo iudicio nihil aliud p̃ter hoc significare deberet: *Sum Doctor Iuris ciuilis, & præterea primi libri Codicis Iustinianei, & vltimi Theodosiani.* Res planè insolita est, & à te primùm excogitata. Miror te in hoc nouo iure non collocâsse Nouellas Iustiniani, quæ *de Episcopis, Clericis, Monachis, Ecclesiis tractant.* Vtinam verò liber primus & vltimus vtriusque Codicis, tibi Ius Canonicum essent, profectò alitèr in religione sentires, non ita insanires; sed Romanam

nam Ecclesiam pro capite vniuersarum Ecclesiarum agnosceres. An non in hoc tuo Canonico iure disertis verbis, caput omnium Ecclesiarum Romana Sedes prædicatur? Conuitia in Pontificem non iaceres, sed cum Iustiniano *sanctissimum Archiepiscopum almæ vrbis Romæ, & Patriarcham, & sanctũ ac religiosissimum Patrem* nominares, nec petulante lingua de Sede Apostolica detraheres, sed cum Iustiniano diceres: *Per omnia properamus, honorem & auctoritatem crescere vestræ Sedis.* Nec loquereris de Pontifice, tanquam de Antichristo, sed vt de Christi vicario. Diceres cum Iustiniano: *Sanctitatem & Beatitudinem vestram petimus, orare pro nobis, & Dei nobis acquirere prouidentiam* [a]. Nec Ioannem XXII. appellares *Alastorem*, reueritus saltem personam illius, cuius vices gerebat. Si tibi aliisq; Caluinianis, isti libri Ius Canonicum essent, haberetis vtiq; & Monachos, Moniales, Monasteria, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Exorcistas, Lectores, Ostiarios & Acolytos [b], & absque dubio in eos animaduerteretis, qui Deo dicatas Virgines, funesto Matrimonio sibi iungunt, ex hac lege Codicis: *Si quis non dicam rapere, sed attentare tantummodò iungendi causâ Matrimonij sacratissimas Virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur* [c]. Item apud vos vigeret illa lex: *Si quis in hoc genus sacrilegij proruperit, vt in Ecclesias Catholicas irruens, Sacerdotibus & Ministris, vel ipsi cultui locoq; aliquid importet iniuriæ: quod geritur à prouinciæ rectoribus animaduertatur, atque ita prouinciæ moderator Sacerdotum & Catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius*

a vt videre est hæc omnia in l. illud & l. nos reddentes. C. de Summa Trinit. adde & Nouell. 131. circa princ. vbi Romanus Episcopus primum omnium Sacerdotum dicitur, & Constantinopolitanus secundus.

b l. generali l. 13. penult. & vlt. C. de SS. Eccles. l. Presbyteros & passim. C. de Episcopis & Cler.

c l. si quis non dicam. C. eod. tit.

& diuini cultus iniuriam, capitali in conuictos seu confessos reos sententiâ nouerit vindicandum, nec expectet, vt Episcopus iniuriæ propriæ vltionem deposcat, cui sanctitas ignoscendi gloriam dereliquit. Sitq́ cunctis laudabile, factas atroces Sacerdotibus aut Ministris iniurias, veluti crimen publicum persequi, ac de talibus reis vltionem mereri[d]. Quod & confirmat Iustiniani locus. *Si quis*, inquit, *cum sacra ministeria celebrantur, in S. Ecclesiam ingrediens Episcopo aut Clericis aut Ministris aliis Ecclesiæ iniuriã aliquam inferat, iubemus hunc verbera sustinere & in exiliũ mitti. Si verò hæc sacra ministeria conturbauerit; aut celebrari prohibuerit capitaliter puniatur. Hoc ipso & in Litaniis in quib. Episcopi aut Clerici reperiãtur custodiendo. Et siquidẽ iniuria solum fecerit is, verberibus exilioq́ tradatur. Si vero etiã Litaniam, concusserit, capitale periculum sustinebit, vindicare iubemus non solùm ciuiles, sed etiam militares iudices**. Videsnè quale ius Canoninicum profiteris, Lutheranis & Caluinianis planè infestum & exitiale. Accedat si libri illi vobis essent Ius Canonicum, haberetis aliquas Ecclesias dedicatas in honorem Apostolorum, Archangelorum, Martyrum; coleretis Cœlitum reliquias, excitaretis templa in honorem Sanctorum[e], exemplo etiam ipsius Iustiniani, qui secutus Constantinum Magnum & Helenam eius matrem, tot Diuis Basilicas erexit, vt integra inde confici possit Litania, quam etiam confeci, & huic Apologiæ subtexui. Vt hinc discant Aduersarij, qui Sanctorum templa & Monasteria non ferunt, quàm dissimiles sint à Iustiniano.

d *l. si quis in hoc 10. C. de Epis. & Cler.*

* *Nouel. 123. de sanctiss. Epis. §. si quis cum sacra.*

e *l. 2. l. 3. l. 13. C. de SS. Eccles.*

ACCEDAT, quòd vel ex solo titulo *de hæreticis*,

cis[f], demonstrari possit, eos à communione Catholici orbis seggregatos esse. f *lib. 1. Cod. Iustinianei.*

Convitiis istis addamus duos errores à te commissos. Quorum alter est, Imperatores Concilia semper conuocâsse. Alter, eosdem Conciliis præsedisse. Non agam pluribus, tantùm cupio, vt Lector recolat, quis hactenus omnia Concilia Oecumenica congregârit, & quis iisdem præsederit. Quia verò singulis Tomi Conciliorum in promptu non sunt, velim, Illustrissimum Cardinalem Bellarminum adeant[g], qui duplicem hunc hæreticorum errorem doctissimè refutat, repetitâ omnis antiquitatis memoria. Illud occurrit, licet suprà à me citatum, quòd in sexta actione Concilij Chalcedonensis expresśè testatus est Martianus Imperator: *Nos ad fidem confirmandam*, inquiens, *non ad potentiam ostendēdam, exemplo religiosissimi Principis Constantini, Synodo interesse voluimus, vt inuenta veritate non vlterà multitudo prauis doctrinis attracta discordet*[h].

g *lib. 1. de Concil. cap. 12. & 19.*

h *extat in c. nos ad fidem. dist. 96.*

Tertiò. Redit Aduersarius ad conuitia in Orthodoxam Religionem, eamq; prauam & falsam doctrinam, & efficacem errorem vocat. Sed quomodo, si primùm librum C. Iustinianæi pro iure Canonico recipit? Nonne in l. nemo Cod. de. summa Trinitate hæc constitutionis Martiani Imper. expressa verba sunt. *Nam & iniuriam facit iudicio Reuerendissimæ Synodi, si quis semel iudicata ac rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contenderit, quæ nunc de Christiana fide à Sacerdotibus qui Chalcedone conuenerunt per nostra præcepta statuta sunt iuxta Apostoli-*

cas,&c.? Quibus si adiunxerit Nouellam Iusti. 131. de Ecclesiasticis titulis[i], certè vel coactus fatebitur Aduersarius, Orthodoxam, id est, Catholicam religionem, non esse falsam doctrinam & efficacẽ errorem. Sed eos qui decretis horum Conciliorũ aduersantur, planè & perniciosè errare. Quot enim Canones ab his Conciliis editi sunt, qui ad fidem, tum ad ipsum Matrimoniũ pertinent? quos recepit & obseruat etiamnum Orthodoxa Ecclesia; ab hæreticis verò nefariè respuuntur & contemnuntur. Lubet hoc demonstrare obiter. Ex Canon. 14. Nicæni Concilij de Diaconis, ne corpus Christi porrigant presbyteris[k]. At negant Caluiniani corpus Christi in Eucharistia; Item Concilij Constantinopolitani can. 3. agit de ordinibus conferendis per Episcopum, talem, videlicet qui ab omnibus Episcopis eiusdem prouinciæ ordinatus est[l]. At hæretici nullum talem Episcopum, & vix ordinem habent. Cauent Concil. Chalcedonensis can. 14. & 15. nè virgines Deo dicatę & Monachi nuptiis iungantur[m]. Item can. 23. nè Monasteria in prophanum vsum conuertantur[n]. At contrà impunè hæc fiunt apud hæreticos. Videat igitur Aduersarius nè quod falsò affingit Orthodoxis in se retorqueatur.

i in f. l.

k citatur & à Gratiano in c. peruenit. dist. 93.

l extat in c. nominati. 9. q. 2. iuncto. can. Concil. Nicani in c. 1. dist. 64.

m & hi Canones extant in Decreto Gratiani in C. Diaconissam non. in c. si qua Virgo 27. q. 1.

n c. 4. 19. q. 3.

QVARTÒ. Criminatur Pontificem, *ex Matrimonio fecisse Sacramentum.* Sed id impudenter imponi S. Pontifici, conuincit vel Concilium Tridentinum, quo Sacramenta nouæ legis (inter quæ & Matrimonium recensetur) à Christo instituta, traduntur. Non igitur à Summo Pontifice. Optarem,

ptarem, quia hæc res in facto consistit, vt Aduersarius nominaret Pontificem qui tantâ audacia ductus Matrimonium fecisset Sacramentum.

QVINTÒ asserit; *Pontifices Matrimonij legislationem & cognitionem Imperatoribus & potestatibus secularibus, vel videntibus præripuisse.* Non enim præripuerunt, sed id quod ab initio nascentis Ecclesiæ Pontifices habuerunt (vt ex vetustissimorum Pontificum rescriptis, & Conciliorum Canonibus suprà demonstrauimus) posteriores Pontifices conseruarunt, & ab inuasorum iniuria defenderunt & vindicârunt.

SEXTÒ. Inuehitur in *Pontifices; cognitionem suam & potestatem protulisse ad legitimationem, & ad dotes res merè pecuniarias.* Aut loqueris de legitimatione, quæ fit per subsequens Matrimonium; hanc certè S. Pontifex tribuit ipsi Matrimonio: *Tanta est,* inquiens, *vis Matrimonij, vt qui anteà sunt geniti, post contractum Matrimonium legitimi habeantur*[o]. Idq; & à iure ciuili anteà receptum erat[p]. Cognitionem verò legitimationis ideò S. Pontifex sibi reseruauit, quòd ea pẽderet ex Matrimonio, quod fori Ecclesiastici est, non secularis[q]; quia res spiritualis, vti suprà docuimus.

[o] c. tanta. 6. ext qui fil. sint. legit.

[p] in l. cùm quis à muliere. 10. C. de natur. liber & § fi. Instit. de nuptiis.

[q] c. 2. ext. de iudiciis.

SI verò loqueris de legitimatione quæ fit per rescriptum Principis, eam tantùm sibi vendicat. S. Pontifex in patrimonio D. Petri, id est, territorio siue ditione Romanæ Ecclesiæ, non autem exercet eam in terris Imperij, siue alterius Principis secularis, sicut apertè se explicat Pontifex in c. per venerabilem 13. ext. qui fil. sint legit.

QVOD

QVOD verò ad dotem attinet; quòd in eam sibi assumat iurisdictionem S. Pontifex; id absurdum non est, si dotis causa incidentèr & accessoriè veniat; veluti, in causam diuortij propter consanguinitatem aut aliud impedimentum Canonicum Matrimonium dirimens; quo casu loquitur Summus Pontifex.[r] Nam diuortio facto (quod verbum ad Matrimonium nullo iure contractum, & postea separatum etiam transferunt SS. Canones[s]) cùm apud virum nullâ ex causâ sit dos, rectè censet S. Pontifex, vt dos separatione factâ mulieri restituatur, tanquam res accessoria[t]; & ne duplici iudicio oneretur mulier[u]. Vbi verò principalitèr dos in iudicium venit, non est quod S. Pontifex se ingerat causæ dotis tanquam merè ciuili[x]. Adeò vt quædam incidentèr nonnunquam in notionem veniant, quæ aliâs ab eodem iudice explicari non possunt[y].

SEPTIMÒ. *Ait sacræ legis & Canonum peritos, suo ordine ex verbis scripturæ malè acceptis cælibatum malè indixisse, & peius seruauisse.* Quam calumniam non refello. In promptu sunt disputationes Bellarmini de cœlibatu[z]; ex quibus cuiuis liquebit, hæc ab isto effusa, esse mera conuitia: & quem facilè redarguit effictum à se ius nouum Canonicum[a].

CÆTERVM cur Ecclesiastici nequeant esse idonei iudices & legislatores causarum Matrimonialium, adfert profectò hoc loco argumentum, perquàm acutum, quod ob suam subtilitatem, me fugit, cùm suprà excuterem argumenta ab ipso allata, & est tale: *Qui non est vxoratus, is non potest*

aptè

r in c. 3. ext. de donat. inter uir. & ux.

s c. 1. ext. de consang. & affin. c. 7. ext. de frigid. & malefi.

t ex c. accessorium. de R. I. lib 6.

u arg. l. 2. ff. de exercitor. actio.

x ex c. causam quæ. 7. & c. per venerabilẽ. 13. ext qui fil sint legit. c. solitæ. ext. de maior. & obed. c. nouit. ext. de iudic. c. duo sunt. cum c. seq. dist. 96.

y Videantur quæ dixi ad c. cùm quid. de R. I. lib 6. haud pridem à me edita.

z primi tomi controuersia 5. & 6.

a in l. Deo nobis. 44. §. hoc etiã cum §. seq. C. de Episcopis & Clericis.

aptè leges Matrimoniales ferre, & causas Matrimoniales cognoscere, nescit enim quid sit Matrimonium. Pontifices & alij non sunt vxorati, Non sunt igitur causarum & rerum Matrimonialium apti iudices & legislatores. Perinde sanè, ac si quis diceret: Qui non est fur, adulter, homicida; is aptè de furto, adulterio & homicidio cognoscere, & leges ferre non potest, quia nescit, quid sit furtum, adulterium, homicidium: Sed iudices seculares, & Principes, non sunt fures, adulteri, homicidæ; Non sunt igitur horum criminum idonei iudices. Miror quod hoc argumentum tuum, seipsum non continuerit, ne ita in Pontifices incurreres; cum nunquam Pontifex fueris.

OCTAVÒ incurrit in legislatores Ecclesiasticos; *statuisse multa inepta, absurda, iniqua.* In his numerat *gradum descriptionem, fictam affinitatem, cognationem spiritualem, miram circa debitum curiositatem, vt certis casibus ab alterutro reddi, peti non possit*, & alia sexcēta. Sed has calumnias, præter Canonistas iāpridem, discussit idē Bellarminus[b]. Qui canonicā supputandi gradus optimam rationē esse demonstrat, contrà Bezam; à quo iste criminationes suas mutuatus est. Nobis sufficit canonicam subductionem graduum, vel esse æquè antiquam, vel antiquiorem, quàm sit illa ciuilis; Cùm eius meminerit Fabianus Pontifex, qui vixit circa annum Domini 242. in *c. de propinquis. 35. q. 2.* Item Iulius, qui sedit anno Domini 340. in *c. nullum ead. q. 2.* & hos subsecutus, licet interiecto interuallò S. Gregorius in *c. progeniem. in c. quadam. ead. q. 2.* & alij,

b *lib. de matrimon. cap. 26.*

quos necesse nō est hîc referre, cum illi sufficiant; & secundùm illos, non autem ius ciuile, numerandi rationem ineamus.

QVAM autem tu fictam affinitatem vocas? Num omnem, nullâ exceptâ, etiam illam quæ in primo gradu lineæ rectæ, aut in primo lineæ transuersæ? Si ita sentis, vide ne non modò sacris literis; sed & iuri ciuili [c], & ipsi communi hominū sensui, & loquentium consuetudini aduerseris. Quid nim frequentius in ore hominum, quàm affinitas? Et Iustinianus: *Affinitatis*, ait, *quoque veneratione, à quorundam nuptiis abstinere necesse est* [d]. Fortè fictam arbitraris affinitatem ex illicita coniunctione natam? *Et eadem in Iure Ciuili reperitur, quia eam, quæ in patris contubernio fuerit, quasi nouercam, nemo ducere potest*: & contrà *eam, quæ in conturbernio filij fuerit, ducere nequit pater, tanquam nurum* [e]. Cognationem spiritualem an non Ius Ciuile probat [f]? Cur ergo tu improbas in Iure Canonico? quod si probus Iurisconsultus es, improbare non potes in Iure Ciuili. Iam circa debitum quid rides, nondùm perspicio. Quod enim mulier prohibeatur exigere debitum, quæ incerta de morte absentis mariti nupsit alteri; vel quæ conscia est consanguinitatis inter se & virum suum, quam tamen iudici probare non potest; rationem hanc adfert S. Pontifex [g], quòd contra conscientiam faceret, si exigeret; vti certum est. At D. Paulo teste, omne quod non est ex fide, id est, contra conscientiam; peccatum est [h]. Igitur hac in re D. Paulum potiùs rides, quàm S. Pontificem, qui ex sententiâ ipsius exactionem debiti prohibet.

c in l. adoptiuus. 14. §. nunc videamus. ff. de ritu nup.

d in §. affinitatis. tit. de nuptiis.

e l. adoptiuus. ff. de ritu nuptiar.

f l. siquis alumnam. C. de nupt.

g in c. litteras. 13. ext. de restit. spoliat. c. inquisitioni. 44 ext. de sent. excommu. c. 2. ext. de secundis nup.

h ad Roman. 14. cap. in fi. Fidem autē pro conscientia accipi hoc loco, constat ex Ambrosio citato à Gratiano in §. illud circà med. de pœnit. dist. 3.

AIS,

AIS, *hæc ipsa perstringi à Pontificiis, qui sint emunctiores & liberiores.* Tua hæc libertas & dicendi impudentia est. Neque mirum; cùm Pontificem & eius Interpretes non legeris, excepto solo, vt videtur posthumo Cuiaciano. Nominas enim Cuiacium, quòd is in Recitationibus suis in quartum librum Decretalium, hæc passim reprehendat. Crederem, Cuiacium authorem esse eorum, quæ in S. Pontificem calumniosè dicuntur, nisi scirem opus illud, mortuo Cuiacio, ab hæreticis interpolatum & editum, qui sua in Pontificem & Canones conuitia & mendatia, celebri Cuiacij nomine tegunt. Nam Recitationes illas Cuiacianas non fide bona publicatas esse, argumento est præfatio ipsius Cuiacij, ab auctore editionis omissa. Quam cur amputauit? nisi quòd laudes Iuris Canonici continebat, quas Aduersarij æquis auribus accipere nequeunt. Quî enim audire ferrent, ius Canonicum connexum esse cum Ciuili; alterum ab altero separari non posse; in omni Religione ius aliquod Pontificium reperiri; maiorem partem controuersiarum, hoc iure componi; totum ordinem hoc iure, velut fundo niti: impudentes esse, qui existimant, nihil sanctum & syncerum proficisci posse à Pontificibus Romanis, Patribus, vel Conciliis: & alia huius generis. Sed ecce ipsam præfationem, ex ipsius Cuiacij ore exceptam, à Nobili tum adolescente, Ioanne Antonio Velsero, Ioannis Duumuiri Augustani F. nunc Societatis IESV Sacerdote, qui tunc Biturigibus Cuiacium audiebat 1585. 23. Februarij.

Vide edit. oper. Cuiac. Francofort. 1595.

QVOD

Præfatio Cuiacij, in quartum librum Decretalium.

QVOD de hominibus sui temporis M. Tullius, in scientia Iuris, se efferre alios posse, sed non eius quidem vniuersi (nam Pontificium, quod est coniunctum, inquit, nemo discit) id fermè etiam de nostris vsurpare licet. Quotus enim quisque est, qui non à Iuris Pontificij cognitione abhorreat: vel quòd inconditum & insuaue, & ieiunum esse videatur; vel quòd nihil à Pontificibus Romanis, vel Christianis Patrib. (quod non est sine probro) vel Conciliis pioru͂ auctoritate conuocatis, proficisci poßit, (vt autumant, imò contendunt impudenter) quòd eorum animus, sanctum & syncerum omni ex parte concipere & persuadere sibi poßit. Et tamen hoc iure in causis plerisque maioribus vtimur; nec, si verum amamus, sine eo benè distrahi magna pars cõtrouersiarum potest. Ac præterea totus ordo iudiciorum, qui vbique gentium, in orbe Christianorum obseruatur, hunc solum veluti fun-

fundũ habet. Certè quod M. Tullius dixit, coniunctum id esse (quanquam suæ ætatis ius Pontificium aliam religionem habuerit) cum iure Ciuili, negari non potest. Nam quæcunque tandem religio fuerit, quæ valeat in Republica, coniungi semper necesse est ius Pontificium cum iure Ciuili. Nostrum certè negari non potest, ex iuris Ciuilis rationibus, magna ex parte depromptum esse. Et Nicephorus Imperator dixit: συμπράσσει καὶ συνεδριάζει τοῖς καλῶς παρὰ ἀρχιερέων ψηφισθεῖσι, καὶ οἰκονομηθεῖσι καλῶς. *Et Iustinianus noster,* τοῖς κανόσι κατακολουθεῖν οὐκ ἀπαξιοῦνται οἱ νόμοι.

D**ENIQVE** *duo esse iura quasi cognata, & inter se reuincta communi vinculo, adeò vt nec vnum sine altero constare posit; id quod meus vobis ostendere gestit animus, in hac, quam suscepi, interpretatione libri quarti Decretaliũ, simul & qua parte discrepet alterum ab altero, & quâ itẽ parte ius Pontificium sit proprium neque discrepans, neque consentiens cum iure Ciuili. Idq́ cum*

Deo, qui mihi ſemper ſtudiorum meorum princeps fuit, ſolus longè alia ratione præſtare, exequi, agere, quàm vulgus Interpretum ſoleat; quorũ culpâ factum eſt, vt nihil hoc iure rudius, nihil inſuauius, aut inſulſius pleriſque eſſe videatur. Sed veniamus ad rem. Hæc Cuiacius.

Vide horum Clariſſimorum virorum conteſtationem operibus Cuiacij præfixam in editione Francofurtenſi 1595.

DEINDE Cuiacius noluit has Recitationes pro ſuis haberi & agnoſci. Teſtantur enim Clariſſimi Viri, Iacobus Thuanus, Nicolaus Faber, Petrus Pithoeus, Claudius Puteanus, Antonius Oiſelus; Cuiacium, non in priuatis ſolùm colloquiis, ſed & palàm ac publicè ſæpè profeſſum; ſupremis etiam declarâſſe verbis, hanc eſſe voluntatem ſuam, ne quid ſiue ex Recitationibus ſuis, ſeu aliunde, ipſius nomine ederetur, præter ea, quæ ipſe antehac Lutetiæ Pariſiorum, Sebaſtiani Niuelli typis edidiſſet, ſimul & Obſeruationum libros tres poſthumos, 25. 26. & 27. &c. Nec immeritò id vir Clariſſimus cauit, quia non ignorabat, quàm multum iuris, ſibi nunc impoſtores in aliena ſcripta ſumant. Ægrè igitur perſuadebis nobis, conuitia illa, ex Cuiacij officina profecta eſſe, vel ſi aliquid fortè ſiniſtri illi exciderit, dum librum quartum Decretalium interpretaretur, hoc ſe minimè aduertente accidiſſe; tum priuata illa & publica conteſtatione omninò reuocâſſe.

AD extremum, licèt Cuiacio multum tribuamus, tanti tamen apud nos non eſt eius auctoritas,

vt hanc argumentationem concedendam arbitremur: *Cuiacius maledicta euomuit in Romanum Pontificem, & in quasdam constitutiones Iuris Canonici: ergo rectè facit, quisquis Cuiacij exemplum sequutus, idem sibi licere putauerit.*

NONÒ. Criminatur *Pontificem iure Canonico introduxisse impia, & verbo DEI expreßè contraria: Qualis*, inquit, *separatio illa fictitia ad mensam & torum, adulterij impunitas, studium restringendarum, & quocunque colore vel ficta ratione, coërcendarum nuptiarum.* Quot verba, tot conuitia. Non Cuiacij, sed tua potius, vel eius, qui Cuiacium malâ fide publicauit. Vobis quidem fictitia videtur separatio illa quoad mensam & torum, qui Matrimonium Sacramentū esse negatis. Sed cùm apud Catholicos constans & perpetua sententia sit, Matrimonium esse Sacramentum, designans perpetuam illam coniunctionem Christi cum Ecclesia[i], necesse est disiunctionem illam, quæ ob adulterium alterius coniugū fit, non de vinculo Matrimonij, sed quoad cohabitationem mutuam exaudiendam esse. Falsum igitur est, illam separationem quoad mensam & torum fictitiam esse, sed potius profectam ex his CHRISTI verbis[k]: *Omnis qui dimittit vxorem suam, excepta fornicationis causâ, &c.* Hinc D. Augustinus[l]: *Licitè dimittitur vxor ob causam fornicationis, sed manet vinculum prioris, propter quod fit reus adulterij qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis.* Et D. Hieronymus[m]: *Quàm diu viuit vir, licèt adulter sit, licèt Sodomita, licèt flagitiis omni-*

i *ad Ephes. 5. in fi.*

k *Matthæi 5. & 19.*

l *de adulterinis coniugiis lib. 2. c. 4. & 5. extat in decreto c. 2. 32. q. 7.*

m *ad Amandū presbyt. extat in decreto in c. omnes ead. q. 7.*

omnibus coopertus, & ab vxore propter hæc scelera dereli-ctus, maritus eius reputatur, cui alterum virum arripere non licet. Concilium Mileuitanum, quod tempore Impp. Arcadij & Honorij celebratum est: *Placuit*, inquit, *vt secundum Euangelicam*, Matthæi 19. *& Apostolicam* 1. ad Corinth. 7. *neque dimissus ab vxore, neque dimissa à marito, alteri coniungantur, sed ita maneant, aut sibimet reconcilientur. Quodsi contempserint, ad pœnitentiam redigantur* [n]. Itaque hæc separatio quoad mensam & torum non efficta à S. Pontifice est, sed antiquis cognita, & ex sacris literis deriuata.

n c. placuit. ead. q. 7.

QVÆRO ex Aduersario, vbi vxor propter adulterium in Monasterium detruditur ex Nouella Iustiniani [o], an eo ipso Matrimonium distrahatur etiam quoad vinculum? Negabit quoad vinculum; eò quòd marito potestas relicta est eam repetendi intra biennium. Igitur separatio illa biennalis Monasterij, duntaxat est quoad mensam & torum.

o Nouel. 134. Vt nulli iudic. §. si quando vero.

NEQVE alterum, quod in Pontificem torquet de impunitate adulterij, calumniâ caret. Nam quod in adulterum gladio animaduertatur ex l. quamuis. C. ad leg. Iul. de adult. non prohibet Pontifex, imò magis probat in c. tuæ. 5. ext. de procuratorib. Adultera verò, vt iuxta præscriptum Iuris Ciuilis, in Monasterium cogatur, recipit & mandat Gregorius IX. in c. gaudemus. 19. ext. de conuers. coniug. Neque abnuit Pontifex, quòd mulier propter adulterium in amissionem dotis puniatur, in c. plerunque. 4. ext. de donat.

nat. inter vir. & vxor. Quomodo igitur *impunitatem adulterij à Pontifice introductam esse*, tam imperitè asserit? Dispensat quidem Episcopus cum Clerico adultero ex concessione Alexandri III. in c. at si Clerici. 4. §. 1. ext. de iudic. sed hoc quoad depositionem, cùm aliâs ordine Ecclesiastico propter adulterium exuendus esset [p], non tamen ob id impune delictum eius finit; cùm non nisi post peractam pœnitentiam à Clerico, dispensatio permissa sit Episcopo [q].

[p] c. cum non ab homine. 10. ext. de iudic.

[q] d. c. at si clerici §. 1.

QVOD verò attinet ad studium restringendarum nuptiarum; certè tibi probandum esset, impedimenta Matrimonij, quæ à SS. Canonibus introducta sunt, ea esse impia & verbo Dei expressè contraria. Nam etiamsi hac Christi sententia niti velis: *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet* [r], non tamen inde efficies, omnes promiscuè ad Matrimonium contrahendum admitti posse & debere, sed illos rectè coniunctos esse, quos Deus coniunxerit. Qui autem tales sint, pendet ex iudicio Ecclesiæ, quæ à Spiritu sancto regitur [s].

[r] Matthæi 19.

[s] Matthæi 28.

DECIMÒ calumniatur: *Pontificem mira audacia & arrogantia dispensasse in illis, quæ lege naturæ, verboq; Dei expressè cauta prohibitaq; fuerint.* Velim huius dispensationis exemplum aliquod adferres. Scio aliquando dispensasse S. Pontificem cum Liuoniensibus, vt quis relictam fratris sui in Matrimonio retinere posset [t]. Quemadmodum & nostra ætate cum Henrico VIII. Angliæ Rege. At, inquies, hoc repugnat diuinis literis: *Qui duxerit vxorem fratris sui*, inquit textus, *rem facit illicitam* [u].

[t] c. fi. ext. de diuort.

[u] Leuitici 20.

Sed illud præceptum Leuitici nihil nos commouet, cùm omnia præcepta Veteris testamenti per Christi mortem abolita sint, exceptis moralibus, quale hoc non est, de non ducendo in vxorem, relictam fratris sui, sed est iuris humani, quod à Pontificis potestate pendet: secus est in iis, quæ iuris diuini vel naturalis sunt: neutrum enim abrogare vel immutare potest Pontifex. Nam licèt Pontifex Christi vices gerat hîc in terris[x], non tamen eam auctoritatem illi attribuimus, vt possit ea, quę à Christo pro necessitate vel vtilitate Ecclesię constituta sunt, vel à iure naturali introducta, arbitratu suo tollere aut infirmare.

x c. 2. c. 3. ext. de translat. Epis.

FORTE repetes hîc, Sententiam Christi: *Quod igitur Deus coniunxit, homo non separet*[y]. At disiungit Pontifex Matrimonium semel legitimè contractum sed non consummatum, per dispensationem suam; tùm per ingressum religionis[z]. Verùm respondemus, Pontificem Christi sententiæ nihil detrahere, sed declarare, eam non habere locum in Matrimonio nondum copulâ carnali consummato[a], & subsequentèr hoc Matrimonium non esse planè indissolubile. Declaratio autem, vti scis, rem non immutat, sed magis aperit siue interpretatur[b]. Idem accidit in illa Christi sententia: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum* DEI[c]. Declarat enim hanc sententiam Pontifex non obtinere in illis, quos necessitas exclusit à baptismo[d]. Quâ ratione & Princeps secularis interpretatur

y Matthæi 19.

z c. ex publico. 7. & ibi gloss. & Dd. ext. de conuers. coniug.

a c. debitum. 5. ext. de bigam. c. 2. ext. de conuers. coniug.

b l. hæres palàm. 21. §. siquid ff. de testam.

c Ioannis 3.

d c. debitum. 4 ext. de baptismo c. 2. ext. de clerico non baptiz.

tatur præceptum illud, *Non occides*, quod simul & diuinum & naturale est; non habere locum, vbi quis defendendi sui causâ aliquem occidit[e], aut vbi quis auctoritate publica propter admissum à se delictum morte multatur[f]. Cùm & hac sua interpretatione Princeps nihil deroget iuri diuino vel naturali, sed declaret, ad hos & similes casus illud præceptum non pertinere. Et quamuis Panormitanus, Felinus, & nonnulli alij existimauerint[g] Summum Pontificem ex causa dispensare posse in iure diuino, id tamen ab aliis rectiùs improbatur; nisi fortè ipsi verbum, *dispensare*, latiùs, etiam pro declarare vel interpretari (vti verisimile est) sumpserint, sicut doctè & elegantèr explicat Did. Couarruuias[h].

e in l. vt vim. ff. de iust. & iure. l. 2. C. ad leg. Cornel de sicariis.

f vt sub tit. ff. & C. ad leg. Cornel. de sicar. l. quisquis. C. ad leg Iul. maiest.

g ad c. non est ext. de voto. ad c. q. in Ecclesiarum. ext. de constitut.

h in quartum decretal. in 2. parte. cap. 6. §. 9. nu. 10.

VNDECIMÒ incurrit; *Pontificem in legibus dispensare, solo suo placito nunquam absque certo precio etiam pulueratico.* Hæc mera hominis calumnia est. Sed audiamus Concilium Tridentinum, cui interfuerunt Legati Sedis Apostolicæ, & quod à Summo Pontifice receptum & confirmatum est: *In contrahendis*, inquit, *Matrimoniis, vel nulla omninò detur dispensatio; vel rarò; idque ex causâ & gratis concedatur: in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam*[i]. Idem Concilium, *Sicuti publicè*, ait, *expedit, legis vinculum quandoque relaxare, vt pleniùs euenientibus casibus &*

i Sess. 24. cap. 5. in fi. in decreto de reform. matrimo.

necessitatibus pro communi vtilitate satisfiat; sic frequentius legem soluere, exemploq; potius, quàm certo potius personarum rerumq; delectu petentibus indulgere, nil aliud est, quam vnicuique ad leges transgrediendas aditum aperire. Quapropter sciant vniuersi, sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad eius fieri poterit, indistinctè obseruandos. Quod si vrgens iustaq; ratio, & maior quandoque vtilitas postulauerint cum aliquibus dispensandum esse; id causâ cognita ac summa maturitate, atque gratis, à quibuscunque ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum: aliterq; facta dispensatio surreptitia censeatur[k]. Ex quibus cognoscere licet, quàm verè Aduersarius affingat Pontifici, *solo suo placito, nunquam sine precio eum dispensare.* At contrarium, inquiet, Romæ obseruatur. Fatemur quidem pro diplomatis & literis Apostolicis conficiendis & expediendis, certi aliquid pendi, sed pro impetranda & obtinenda dispensatione nunquam; de qua nostra, & ni fallor, tua quæstio est.

k *Sess. 25. cap. 18. in decreto de reform.*

ASSERIT, *Deum semper aliquos reliquisse, qui sub tenebris Pontificiis, vt in aliis Christianismi partibus, ita etiam in hac Matrimoniali; corruptelas manifestas agnoscerent, ingemiscerent & deplorarent, quidam & publicè detestarentur.* Si scisciteris, quotnam sint millia eorum, qui genua sua non curuârunt ante Pontificem; mox duos tresúe nominat, Marsilium de Padua, Occamum & Wiclefum. Certè si hac argumentandi ratione Pontificis auctoritatem euertere velimus, eâdem euertemus & potestatem Imperatoris, cuius iurisdictioni aliquando non duo tresúe priuati homunciones, sed integra Regna resti-

restiterunt, non modò verbis sed & armis. Et quoniam sunt isti tres respectu totius Ecclesiæ Catholicæ, quæ Pontificem pro iudice & legislatore causarum Matrimonialium, semper agnouit, etiam eo tempore, quo isti Pontificis potestatem immunitum ibant, maiore conatu quàm successu. Quod autem his adiungas Cynum, haud æquum facis; quia Cynus nunquam negauit quæstiones & controuersias Matrimoniales, Ecclesiasticæ notionis esse, sed in quibusdam duntaxat casibus, ius potius Ciuile sequendum docuit quàm Canonicum, veluti in legitimatione & successione eorum, qui suscepti sunt ante Matrimonium à parentibus contractum. Meliore iure tribus illis adiunxisses Hussium & Hieronymum Pragensem, item Melanchtonem & Brentium, quos tibi tuæ sectæ Patronos nos non inuidemus.

DVODECIMÒ. Curiam Romanam, vocat *Officinam inexplicabilium & immortalium litium, voraginem sumptuum immensorum, campum vulturiorum rapacissimorum & insatiabilium, domum negotiationis, & horribilem speluncam latronum, vbi periclitatur innocentium iustitia, vel in tantum differtur, si eam pretio redimere nequeant, vt tandem exhausti, innumeris fatigati laboribus, iustas & miserabiles illorum causas cogantur deserere. Vbi altè intonant leges humanæ, silent, aut rariùs resonant diuinæ doctrinæ, &c.* Hæc certè sobriũ te Scripsisse non credo; sed cùm largitèr bibisses, aut saltẽ liuore & odio in Pontificem æstuares, in chartam coniecisse. Quis enim credat homini sano hæc excidisse? Sed cùm me colligo & video te hære-

ricum esse, non miror. Adeò mentiri & calumniari, nulla vobis religio est, si modò in Pontificem, aut in eius Curiam agatur. Nec enim probare hæc potes; cùm illi, qui Romanam Curiam vel modicum experti sunt, contrarium testentur, id est, officinam esse explicabilium litium, incorruptorum iudicum, administram iustitiæ, & diuinæ doctrinæ; receptatricem innocentum & exulum Catholicorum. Quid enim aliud clamat Ius Canonicum, quàm vt celeritèr lites expediantur, laboribus & expensis parcatur[l]. Quid aliud monet iudices, quàm vt solùm Deum præ oculis habentes, ius ex æquo administrent, remotis sordibus & gratia[m]. Nonne & in eos qui dato precio aut addictione pretij, gratiam vel iustitiam apud Sedem Apostolicam obtinere conantur, excommunicatio constituta est[n]? Contrà hæc si à Romana Curia peccetur, tibi probandum erit, cùm in facto consistat[o]. Sed video tuæ farinæ homines eò impudentiæ processisse, vt hæc & similia non ex ignorantia, sed ex merâ maledicendi licentia in Pontificem effundant. Cùm olim Apelles Calumniam depingeret, & Lucianus picturam Apellis explicaret, addidit vterque Calumniæ ignorantiam, tanquam causam omnium criminationum. *Quod si quis Deorum*, inquit Lucianus, *cuiusuis vitam in lucem educeret, omnis calumnia mox in barathrum præceps abiret, non relicto vllo loco, vbi subsisteret: quippe rebus iam ab ipsa veritate patefactis & in luminis oras extractis.* Si Apelles & Lucianus reuiuiscerent,

l c. finem litibus. 5. & c. fi. ext. de dolo & contum.

m c. 1. de sent. & re iudic. in 6.

n c. 2 de sententi. excomm. in extrauag. communib.

o ex l. 1. & l. 2. ff. de probatio.

rent,

rent, ſententiam ſuam mutare deberent, eò quòd iam calumniatores extiterint, qui volentes ſcientesque calumnientur, & tales itidem qui volentes ſcientesque his calumniatoribus aures & aſſenſum præbeant. Nam iſtos ipſos non fugit Romam, ſeu Romanam Curiam non eſſe *ſpeluncam latronum*, ſiue nomina hæc propriè ſiue metaphoricè vſurpent. De proprio ſenſu id facilè, opinor, quiuis dabit. De metaphorico euidenter id oſtendo. In nulla ſpelunca latronum, hoc eſt, in nulla improborum & ſceleratorum collectione & conuentu, præſtantur ea opera pietatis & miſericordiæ, quæ Romæ præſtantur, quia in ſceleratorum cœtu *viuitur ex raptu, non hoſpes ab hoſpite tutus, Qui pote, plus vrget:* Viribus agitur, non ratione & virtute. Quæ ſunt ergò illa pietatis & miſericordiæ opera? Prætereo quotidiana eaque infinita. Extat libellus Latinè, Italicè, Gallicè, Germanicè, in quo accuratè percenſentur omnia, quæ Romæ geſta ſunt, anno Iubilæo 1575. Inter quæ tam mira beneficentia & liberalitas in peregrinos, pauperes, in ægros, in captiuos, & in omnis generis homines Romæ, Romanæ Curiæ, Romani populi, Romani Cleri, Cardinalium & Pontificis, deſcribuntur: adeò vt ſi hæc calumnia retorquenda eſſet, eum magis *in ſpelunca latronum* ſatum, natum & educatum eſſe oporteat, quicunq; Romam vocat

immen-

immensorum sumptuum voraginem, campum vulturiorum rapacissimorum & insatiabilium, & horribilem speluncam latronum. Vt de meipso taceam, quem exulem à patria ob Catholicã religionem, Gregorius XIII. S. Pontifex paternè suscepit, & Perusij impensis suis, studiorum causâ, biennium aluit; vnica Sodalitas seu Archifraternitas sanctissimæ Trinitatis (cuius albo Illustrissimi quique Romanæ Vrbis & Curiæ adscripti sunt) anno illo Iubilæo in peregrinos, quos hospitio misericorditèr & liberalitèr excepit, supra trecenta millia aureorum, munificentissimè expendit: Vt & præsens annus Iubilæus facilè testabitur, quo non minora pietatis officia ab eadem Sodalitate haud dubie præstantur & præstabuntur in peregrinos. Vtinam Aduersarij hæc oculis saltem suis vsurpare velint, aliam mentem inducerent, calumniis abstinerent in Romanam Curiam.

PRÆTEREA Gregorius XIII. Pontifex Optimus Maximus, plures sumptus in Germanos & Germanorum seminaria, partim in Italia, partim extra Italiam erecta, & Clemens VIII. qui nunc Petri Cathedram felicitèr tenet, plures pecunias in bellum Hungarium insumpsit, Turcis à Germania auertendis, quàm omnes Pontifices ex causis Matrimonialibus Germaniæ, toto hoc sæculo acceperint; hoc est ab anno Domini 1501. vsque 1600. annum, seculi huius clausulam. Et tamen Aduersarij Romanæ Vrbi & Curiæ non auaritiam, sed rapacitatem obiectant. Qua macula omnes omninò Ecclesiasticos iudices, & causarum

Ma-

Matrimonialium cognitores aspergit hic noster Aduersarius, repetitis, nescio quibus, querelis & *grauaminibus* Ordinum Imperij, vt ait, Anno 1522. An nullæ vnquam extiterunt querelę aduersus tribunalia Politica, Ducalia, Regia, Cæsarea? Nulli nè vnquam extiterunt, qui grauaminibus seu fictis, seu veris, chartas implerent, Ducibusq́; Regibus & Imperatoribus supplicitèr offerrent, non sine magnis precibus, vt auerterentur? Si igitur Principes non sustulerunt tribunalia Politica, propter abusus quosdam, cur vos sustulistis Ecclesiastica tribunalia propter abusus, si qui irrepserant? Quāuis vobis, omnis Ecclesiasticæ disciplinæ impatientibus, facilè vel optimus vsus, videri soleat abusus. Sed faciamus aliquot abusus irrepsisse, cur non extirpâstis infelix lolium, lappasq́; tribulosq́; relicta segete?

QVIS autem non rideat, cùm gloriaris Consistoria cognoscendis Matrimonialibus cōtrouersiis à vobis instituta, tam casta, tam integra, tam à muneribus abhorrentia esse. Tam integra & casta sunt, vt multi optent reuerti ad illos Iudices, à quibus vel nolentes vel volentes abierunt. Videntur enim sibi audire Roboam P: Pater meus cecîdit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. Ita eadem vestra Consistoria ornâstis, scilicet decretis, ex puris diuini Verbi fontibus, & immutabili naturalis lege haustis; præsertim cùm ob fornicationem, Matrimonium, non modò quoad torum, sed etiam quoad vinculum dissoluere tentatis; quātumuis licèt inuitâ & refragante le- P 3. Regum.12

q *Vide quæ supra diximus ad 9. & 10. conuit.*

ge Euangelica q: Cùm item conceditis, vt si aliquamdiu absit maritus, nec tamen semel atque iterum citatus compareat, vxor alteri liberè nubat. Naturali insuper honestati valdè consentaneum esse, plerosque gradus affinitatis, quos Ius Canonicum statuit, simul cum omni spirituali cognatione, è medio tollere, ipsosque etiam consanguinitatis gradus contrahere & truncare: Item homines Deo votiuos, Monachos, Clericos, Moniales, ad nuptias admittere & adigere, tam verbis, quàm exemplis. Totum hoc, nihil aliud est, *quam Clericorum & Monachorum fermentum repurgare*, vt tu ais: At mihi videtur, vos repurgando ea, quæ repurgatione non egent, paulatim ad omnis honestatis abolitionem tendere, nisi Deus maturè vestris conatibus obsistat: non enim exigua semina huius tam præclaræ repurgationis iacta sunt à vestris hominibus, quæ si quando adolescant, mox id, quod adhuc reliquum est ingenui pudoris, tenues in auras dilabetur.

CÆTERVM mirari subit, cur nouas Iuris Connubialis leges, vobis fabricaueritis? An non sat multas fecerat Iustinianus? Si displicebant illæ in Pandectis, cur non retinuistis leges nuptiales Codicis & Nouellarum? An non sæpius fassus es, omnia quæ ab antiquis de Matrimonio tradita sunt, optima ratione fuisse constituta? Cur conuellitis sine ratione, quod optima ratione constitutum est? Putabat Iustinianus, vt tu quidem mentem eius interpretaris, Ius Connubiale pertinere ad se. Tu verò illud valdè liberaliter cuiuis Magi-

ſtratui concedis. Ex quo quantum confuſionis naſcatur, nemo non intelligit: dum quòd Matrimonium vnus Princeps, vnusque Magiſtratus probat, alij improbant: Quòd vt legitimum iſti agnoſcunt, alij ob diuerſa ſua decreta, vt nefarium condemnant. Cur enim hæc vel illa ciuitas amplectatur leges connubiales alterius, nulla ratio eſt; cùm eadem libertate & luce Euangelica perfruatur, & eandem poteſtatem habeat, te cenſore, condendi leges nuptiales? Falſiſſimum autem eſt, Magiſtratum Chriſtianum idem olim quoque factitâſſe, hoc eſt, nouas ordinationes & conſtitutiones municipales, circa Matrimonia ineunda, conſtituenda & diſſoluenda, ſibi collegiſſe & publicâſſe: Nam Iuſtinianus hanc poteſtatem ſibi & ſucceſſoribus ſuis reſeruauit. Quo iure, ſuprà vidimus. Neque vnquam inferioris Magiſtratus terminos euſque produxit, vt ei legislationem, circa Matrimonialem contractum concederet; legislationem, inquam: nam cognitionem ex legum præſcripto conceſſit; quod liquidum eſt omni illi, qui conſtitutiones Iuſtiniani euoluit vel inſpexit. Ergo nè ex legibus quidem ciuilibus Iuſtiniani id licuit cuiuis Magiſtratui inferiori? Quamuis ſecundùm rei veritatem nec Iuſtiniano quidem, aut alteri Imperatori licitum fuerit; Cùm Matrimonium Sacramentum ſit apud Chriſtianos; cuius proinde moderatio & legislatio, ad Eccleſiaſticum Magiſtratū pertinet, non iure aliquo humano, vel *titulo præſcriptionis*, vt tu hîc hallucinaris, ſed iure diuino,

fundato in illo[t]: *Quicquid ligaueris super terram, &c.* Et in illo[s]: *Pasce oues meas*, & id genus aliis locis. Quod ius diuinum, nulla vnquam hominum temeritas, & petulantia, & maledicentia interrumpet; quia stat, stabitque illa Christi promissio[t]: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Interim *instate*, Aduersarij; *commordete, citius multo frangetis dentes, quàm imprimetis*; & simul hunc Canonem ab Oecumenico Concilio habete: *Siquis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, anathema sit*[u].

t Matthæi. 16. s Ioan. 21.

u Concil. Trid. Sess. 24. can. 12.

REFVTATIO SECVNDI TRACTATVS, NOMINE MARSILII DE PADVA EDITI.

IAM ad alterum tractatum transeamus, qui nomine Marsilij de Padua inscribitur. In quo initio præsupponit Marsilius; in Ecclesia nullam esse potestatem leges condendi propriè dictas, à Ciuilibus distinctas, quæ vim coactiuam habeant. Quo iacto fundamento per se sequi ait: *Pontificem, & alios Ecclesiasticos, non habere vllam potestatem coactiuam circa res Matrimoniales, siue condendo leges, siue diiudicando causas Matrimoniales.* Idem hoc tempore sentiunt omnes passim hæretici, præsertim Lutherani & Caluinistæ, dum docent Ecclesiasticos superiores *tantùm habere clauem*; *hanc autem exerceri duntaxat docendo siue prædicando Euangelium,*

& porrigendo Sacramenta, vt loquitur Melanchton in Confessione Augustana. Concedunt tamen *fas esse Pastoribus facere ordinationes, vt res ordine gerantur in Ecclesia, quas cuiuis obseruare sit liberum, & quas secluso scandalo quis impunè transgredi queat. Tales ordinationes aiunt esse illas, de die Dominico loco Sabbathi celebrando, de festo Paschatis, Pentecostes, vbi & quando conueniendum sit, vt audiatur verbum Dei, &c.*

VERVM hic error plurimis & grauissimis sacræ Scripturæ locis, tum aliis argumentis refellitur à Bellarmino [a] & Gregorio de Valentia [b]: Præcipuè ex 24. cap. apud Matthæum. & 20. cap. apud Ioannem, vbi Christus inquit: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, sicut misit me pater, & ego mitto vos, &c.* Et ex 15. cap. Actor. *Visum est*, ait D. Petrus, *Spiritui sancto & nobis, nihil vltrà vobis imponere oneris, nisi hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, à suffocato, & sanguine, & fornicatione.* Tum ex illo loco apud Ioannem 21. cap. *Pasce oues meas.* Certè ipsum nomen Pastoris & Præpositi, quæ Prælatis, aliisque Ecclesiæ ministris tribuunt sacræ Scripturæ [c], satis conuincunt, eos habere potestatem condendi leges propriè dictas, hoc est, quæ obligationem & necessitatem subditis adferunt. Primum enim; qualis Pastor is censendus est, qui oues suas, si obtemperare nolunt, non possit in ordinem cogere? Qualis, inquam, qui sua iussa potius cogitur subiicere ouibus suis, vt si libuerit, ea capessant, si auersentur, reiiciant? Qualis Præpositus, qui illud apud subditos suos efficere nequit, vt imperata faciant idque si non vir-

a Bellarmin. lib. 4. de Pontifice. cap. 15. & seq.

b Gregor. de Valent. tomo 2. disput. 7. q. 5. punct. 2.

c Ioan 21. ad Ephes. 4. Actor. 20.

tutis amore, saltem formidine pœnæ? qui ita gregi suo præpositus est, vt verè sit postpositus, aut iuxtà positus? Quales Episcopi animarum, quibus in suæ fidei commissos plus inspectionis concessum non est, quàm concedant subditi, non modò vniuersi, sed & singuli? Quod si Magistratui politico permissum est, leges & statuta condere boni communis causâ, cur non similiter Ecclesiastico ad tuendum Ecclesiæ statum, & ad retinendos Christianos in officio?

ACCEDAT perpetua consuetudo Ecclesiæ, à temporibus Apostolorum ad hæc vsque traducta. Extant Apostolorum Canones, à Francisco Turriano vindicati ab iniuriis Centuriatorũ Magdeburgensium. Extant varia decreta omnium ferè Summorum Pontificum, videlicet Clementis, qui anno Domini 92. Pontificatum iniit, *in c. talis. dist. 23. in c. nullus. dist. 38. in c. Sacerdotes, 2. q. 7. in c. si autem 11. q. 3.* Item Anacleti, qui anno Dñi 102. *in c. in nouo. dist. 21. in c. ordinationes. dist. 64. in c. ordinatiões. dist. 75. in c. electionem. dist. 79.* Item Euaristi, qui Anacleto successit circà annum 112. *in c. sicut vir. 7. q. 1. in c. 1. & in c. si qui sint. 11. q. 7. in c. aliter. 30. q. 5.* Itẽ Alexandri, qui Euaristum subsequutus est circa annum 120. *in c. in Sacramentorum. de consecratio. dist. 2. in c. aquam sale, de consecratio dist. 3.* Item Sixti, qui Alexandro suffectus est, anno 129. *in c. in sancta. de consecratio. dist. 1.* Item Telesphori, qui Sixto, anno 139. *in c. statuimus. dist. 4. in c. accusatori, 3. q. 9.* Et sic subsequentèr reliquorum Pontificum; Horum, inquam, decreta, & responsa extant apud Gratianum, tum apud alios Auctores. Quibus si adieceris Canones

nes Conciliorum Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis (quos tanquam sacras Scripturas & leges recepit & obseruauit ipse Iustinianus[d]) tùm aliorum Conciliorum, tam Vniuersalium quàm Prouincialium siue Episcopalium sanctiones, & libros Decretalium, qui omnibus obuij sunt; certò constabit, neque refragari quisquam poterit; Summos Pontifices aliosque Prælatos Ecclesiasticos ab initio nascentis Ecclesiæ perpetuò leges condidisse & edidisse, & quidem propriè dictas, quibus sæpissimè excommunicationem, aliamúe censuram Ecclesiasticam, maioris obseruationis ergo, attexuerunt. Vnde quis non videt, minimè ea mutari oportere, quæ interpretationem certam semper habuerunt[e]. Quare & ipse Melanchton, cùm certis argumentis se oppressum cerneret, ita ausus est pronunciare[f]. *Nec satis est vociferari: Episcopi non habent potestatem leges condendi; Ideò licet violare traditiones, hoc est, leges ab Episcopis latas. Debemus enim obedire etiam iniqua imperantibus.* Cæterùm excutiamus argumenta, quibus Marsilius probare nititur, Iudices Ecclesiasticos esse tantùm Doctores nullâ coactiua auctoritate vel potestate præditos.

PRIMVM argumentum. *Cùm Christus Apostolos mitteret Euangelij nunciandi causâ in vniuersum orbem, non mandauit illis, vt leges ferrent, sed vt baptizarent omnes gentes, &c. docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui.* Sed huic occurrit Bellarminus: In iis, quæ mandauit Christus, illud etiam esse, vt seruentur præcepta Prælatorum. Ait enim Christus: *Qui vos audit, me audit*[g].

d in Nouel. 131 de Ecclesiast. titul. Nouel. 83. Vt clerici apud proprios Episcop. §. fi.

e l. minimè 23 ff. de legib.

f in disput. de libert. Christiana.

g Lucæ 10. Bellar de Ro. Pontif. lib. 4 ca. 17.

SECVNDVM argumentum. *Christus in hoc seculo non habuit potestatem coactiuam, quatenus homo: Ergo nec Apostoli eam habuerunt, nec eam habent, qui Apostolis succedunt Episcopi, & alij iudices Ecclesiastici.* Antecedens probat ex illo: *Regnum meum non est de hoc mundo*[h]. *Ecce*, inquit Marsilius, *quantùm ad authoritatem: si enim esset de hoc mundo, decertarent vtique ministri mei. Ecce*, inquit, *quantum ad arma, siue coactiuam potestatem. Idem etiam inde liquet, quòd cùm quidam peteret ab ipso diuisionem hæreditatis cum fratre: respondit: homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos, vel inter te & fratrem tuum*[i]. *Quasi diceret, tale iudicium exercere non conuenit mihi.* Antecedens negant rectè Theologi nostri. Verè enim habuit Christus in hoc mundo regnum & principatum spiritualem, vnà cum vi coactiuâ. Cùm ipse fuerit secundùm Isaiæ vaticinium, *Dominus Legifer noster*[k]. Vt igitur lex necessitatem imponit subditis, ita & legifer per ipsam legem. Cùm ergo Christus spiritualem potestatem coactiuam habuerit, dubium nō est, quin potuerit eandem cōmunicare Rectoribus huius regni spiritualis, hoc est Ecclesiæ seu Ecclesiæ præsulibus. Illa verò Scripturæ testimonia tantùm probant Christum, vt hominem, non fuisse politicè & teporaliter Regem ac Dominum, quia propriè & per se spiritualiter fuit Rex: quemadmodum latius persequitur Bellarminus[l] & Gregorius de Valentia[m].

TERTIVM argumentum. *Reges gentium dominantur, eorum vos autem non sic*, inquit Christus instituens Apostolos[n]. *Quibus verbis videtur*, putat

h Ioannis 18. cap.

i Lucæ 12.

k Isaiæ 33.

l lib. 5. de Romano Pontif. cap. 4.

m tomo 4. disput. 1. q. 22. puncto 6.

n Lucæ 22.

Marsilius, *illis omnem potestatem coactiuam adimere, etiam ex sententia S. Bernardi, qui ait: planum esse Apostolis dominatum interdici.* Idem argumentum Caluinus adfert [o]; sed facilè dissoluitur à Bellarmino [p], quòd scilicet his verbis Christus solùm instituerit meros Principes Ecclesiasticos, quos vt tales, vult præesse subditis, non more Regum & dominorum, sed more patrum & pastorum. Non autem sequitur hinc, non posse vnum & eundem esse Episcopum & Principem. Vt taceam, Christum eo loco non vti *dominandi* verbo, sed alio, quod *violentam dominationem* significat. Ait enim κατακυριεύουσιν αὐτῶν, *violenter dominantur eorum,* Quo verbo etiam vtitur S. Petrus, cùm vult, vt *non sint dominantes in clero,* hoc est, violenter dominantes [q]. Quod ad D. Bernardum attinet, is non loquitur de spirituali potestate & dominatione concessa Pontifici à Christo, sed de temporali. Nec tamen vult Pontificem, aut alios Principes Ecclesiasticos non posse simul habere dominium temporale, sed tantùm docet, Pontificem, vt est Pastor, à Christo eiusmodi dominium non recepisse, quale habent temporales Reges ac Domini. Atque adeò quatenus pastor est, non debere temporaliter dominari ouibus suis, licèt iisdem, vt ciues sunt, & alio iure sibi subiectæ, nō impediatur eas regere tanquam Princeps politicus. Non aduersari autem diuinis literis, vt in eandem personam simul concurrant & conueniant potestas Ecclesiastica, qualem habent Pastores, & ciuilis siue politica, qualē habent Principes, multis exemplis ex sacra Scriptura & histo-

[o] lib. 4. Instit. cap. 11. §. 8.
[p] lib. 5. de S. Pontif. cap. 10.
[q] 1. Petri. 5.

riis demonstrat idem Bellarminus, & comprobat vsus Germaniæ nostræ, in qua omnes Episcopi, tũ pleriq; Abbates, simul Principes Imperij sunt, &, temporalem iurisdictionem exercent; ita vt minimè absurdum sit, in vnum hominẽ vtramq; potestatem coire: quin maximè conueniens, vt quos Episcopi Ecclesiastica potestate sua continere, & ad officium reuocare non possunt, saltem potestate seculari, quâ præditi sunt, adigant & coërceant.

r 2. Corinth. 1.

PRÆDICTIS addit Marsilius locum illum Apostoli: *Non quia dominamur fidei vestræ*[r]. Vbi videtur significare, se nulla erga fideles coactiua potestate præditum fuisse. Quod confirmat idem Marsilius auctoritate S. Ambrosij, S. Chrysostomi, & Hugonis de S. Victore. Verùm alia verborum D. Pauli sententia est, quod videlicet nullus homo alteri fidẽ dare possit, cùm sit donum Dei, vel etiam adimere, cùm sit actus voluntatis propriꝙ, fidem nefariè deserentis. Vel verborum hic sensus est, quòd is, qui semel fidem suscepit, sed postea eam reiecit; simpliciter & præcisè ad resumẽdam fidem constringi non possit, cùm hæc res à resumentis voluntate pendeat. Quamuis enim Ecclesia hæreticos pœnarum seueritate compellere possit, vt ad Ecclesiaam redeant, atque adeò, mentem Catholicam induant: non est tamen in eius potestate situm, vt si hæreticus absolutè crecredere nolit, Ecclesia inuito ipsi actum credendi iniicere possit. Ita ex sententia Iacobi Gretseri Theologi Ingolst.

ITAQVE ex hoc duplici sensu, licèt nihil iuris vel potestatis in fidem habuerit Apostolus, aut Aposto-

postoli successores Episcopi: in fideles tamen hoc sibi vsurpant, vt tanquam Pastores, & Doctores, & Superiores, & Præpositi, bonum spirituale illis procurent, & pœnis Ecclesiasticis, aliisq; modis, si à recta fide desciscant, coërcere possint, etiam implorato, si contumaciores sint, seculari brachio. Quamuis & ipsi Principes seculares auctoritate sua, propositis edictis pœnalibus, tum animaduersione publica sartam & tectam tueri possint & teneantur Catholicam fidem; cùm & ad defensionem Ecclesiæ à Deo constituti sint. *Debes Imperator*, inquit Leo Papa, ad Leonem Augustum, *incunctanter aduertere, regiam potestatē tibi non solùm ad mundi regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium, esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ benè sunt statuta, defendas, & veram pacem his, quæ sunt turbata restituas*[s]. Et Anastasius II. Papa, ad Anastasium Imperatorem: *Hoc*, inquit, *præcipuè insinuo Serenitati tuæ, vt cùm causa Alexandrinorum patuerint piissimis auribus vestris, ad Catholicam & synceram fidem eos, auctoritate, sapientia diuinisq; vestris mādatis redire faciatis*[t]. Vt hinc multæ Impp. Christianorum constitutiones, libro primo Codicis, in hæreticos & apostatas extent. Hac enim ratione fit, vt qui fideles sunt, pœnarum saltem metu, in officio contineantur, & qui impiè desciuerunt, earum animaduersione reducantur. Quam in rem lubet hîc, accersere sententiam D. Augustini, in Epistola 48. ad Vincentium[u]. *Mea*, inquit, *primitùs sententia erat, neminē ad vnitatē Christi esse cogendū; verbo esse agēdum, disputatione pugnandū ratione vincendum; nè fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non contra-*

s *Epistola 75.*

t *extat in Epist. ad eundem Imp.*

u *extat in decreto Grat. in c. vides. 23. q. 6.*

dicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primò mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cùm tota esset in partem Donati, ad vnitatem Catholicam, timore legum Imperialium conuersa est: quam nunc videmus ita huius vestræ animositatis perniciem detestari, vt in ea nunquam fuisse credatur. Ita aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, vt ipsis rebus agnoscerem etiam in hac causa intelligi posse, quod scriptum est: Da sapienti occasionem, & sapientior erit[x].

x Prouerb. 9.

VNDE non obstat explicationi nostræ dictum Ambrosij, cùm ait: *fidem esse voluntatis, non necessitatis.* Voluntatis enim est, vt recipiatur, necessitatis, vt retineatur. Et vt retineatur, vim coactiuam Ecclesia à Deo habet. Locum Chrysostomi ex lib. 2. de sacerdotio ante medium, explicat Bellarminus, qui & ex aliis eiusdem Chrysostomi locis, ostendit, Chrysostomum non negâsse potestatem Ecclesiasticam[y].

y lib. 4 de Romano Pont. cap 21.

AD Hugonem de S. Victore, respondetur, eum loqui de potestate temporali directâ, quam Ecclesiastici habent. Hanc enim non negamus, quin ab Imperatoribus & Principibus, donationis, legati, vel alio titulo acceperint. Neque enim vnquam in mentem venit Hugoni, negare potestatem Ecclesiasticam & spiritualem coactiuam, quã à Christo, non ab Imperatore aut Principibus Ecclesia habet.

EX allatis à se testimoniis infert Marsilius; Episcopos & Ecclesiasticos, esse meros diuinæ legis interpretes, nec quidquam amplius posse, quàm vt interrogati respondeant, vtrum hoc vel illud sit

diuinæ legi consentaneum; sicut & Iuris Ciuilis Doctores & Interpretes plus potestatis hodie post veterum Iurisconsultorum Responsa non habent, quàm vt leges antea latas interpretentur; neque posse eorum iudicium dici forum aut iurisdictionem ob defectum potestatis coactiuæ. Ex quo vlterius colligit, ferre leges Matrimoniales, & in illis dispensare, non esse muneris Ecclesiastici; Cùm & constet multas leges circa Matrimonium esse códitas, humana Impp. non diuina authoritate. Vnde si quæstio occurrat, quæ solùm ius humanum concernit, tunc Iurisperitos, vt legis humanæ interpretes, consulendos esse; & Principem, vt legislatorem & dominum, ferre debere sententiam, prout legibus humanis, & rectæ rationi consentaneum iudicauerit, eiusque iudicium esse *iurisdictionem & forum*; eò quod coactiua potestate sit præditus.

Sed quia hæc ex falsis & absurdis fundamentis colliguntur, mirum non est, si ipsa falsa & absurda sint. Nam quod Apostolus ait[z]: *Omnis anima subdita sit potestatibus sublimioribus*; id nobis non refragatur; Cùm potestas spiritualis sublimior sit temporali, ac proinde vel maximè oportet, vt omnis anima huic potestati sit subdita. Quod enim Marsilius hunc locum tantùm exponat de Regibus, Ducibus, & Tribunis, nullius momenti est: cùm Apostolus generaliter loquatur de omnibus potestatibus: Ait enim, *non est potestas nisi à Deo*[a]; quod huic æquiualet: *Omnis potestas à Deo est*. Esse autem aliquã Ecclesiasticam potestatem, idem

z *ad Roma. 13.*

a *ibid. 13. cap.*

b 2. Corinth. 13.

Paulus docet[b]. *Hæc,* inquit, *absens scripsi, vt non præsens duriùs agam, secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi*[c].

c Bellarmin. citato loco. cap. 16. vbi testatur & Calumnium Pauli locum ita accipere. lib. 4. Instit. cap. 10. §. 5.

d 2. Corinth. 10.

NEC mouet, quòd, *arma militiæ nostræ non sine carnalia*[d]. Quia Ecclesiastica potestas coactiua, de qua agimus, non est carnalis, sed spiritualis, & spiritualem tantummodò finem directè spectat. Neque ob id se implicat negotiis secularibus, qui hanc potestatem Ecclesiasticam exercet iusq; subditis spirituale dicit.

e 1. Petri 2.

ILLA verò D. Petri verba[e]: *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, &c.* iam pridem explicauit Pontifex, *in c. solitæ. 6. ext. de maior. & obed.* cùm Imperator Constantinopolitanus ea obiecisset se efferendi, & Pontificem deprimendi causa: *Si personam,* inquit, *loquentis, & eorum, ad quos loquebatur, ac vim locutionis diligentiùs attendisses, scribentis non expressisses taliter intellectum. Scribebat enim Apostolus subditis suis, & eos ad humilitatis meritum prouocabat.* Quod pluribus prætereà comprobat.

HÆC quoad Marsilium. Aliud enim in tractatu eius refutatione dignum non occurrit; cùm ad finem vsq; aliud nihil contineat, quàm inanem repetitionem eorum, quæ ipse antè non probauerat. Nempè, *Ecclesiasticos nulla vi coactiua præditos esse; ius hoc solis Principibus competere; Ecclesiasticos tantùm esse legis diuinæ interpretes,* & id genus alia absurdissima, in quibus multum stultitiæ, nihil prudentiæ, multum versutiæ, & nihil doctrinæ.

RE-

REFVTATIO TERTII TRACTATVS, DE IVDICE CAVSARVM MATRIMONIALIVM, EDITI NOMINE Guilielmi Occami.

SVCCEDIT tertius Tractatus qui Guilhelmo Occamo adscribitur, qui licet subtiliora aliis argumenta contineat; in speciem tamen omnia contexta sunt, ab homine alioqui acerrimo: quod mirum non est, cùm optima quæq; & acutissima ingenia hebescant & obtundantur, vbi falsitatem amplecti, & veritatem seriò oppugnare ceperint. Quod num Occamo acciderit, lectorem huius dissertationis arbitrari volo. Et quia Occamus scholasticas metas transcendẽs, declamatorem potiùs quàm disputatorem agere voluit: nos tamen argumenta illius ad Dialecticæ formam redigemus, & quâ fieri potest, breuitate & perspicuitate, dissoluemus.

PRIMVM argumentum. *Imperator Christianus, non minus iuris & potestatis habet, quàm habuerunt Imperatores à fide Christianâ alieni; cùm sit illorum legitimus successor, fidesq́ Christiana, potestatem non imminuat; quod planum itidem fit, exemplo Philippi primi Christianorum Imperatoris*, inquit Occamus, *& Constantini Magni, qui plenum Imperij ius retinuerunt. Sed Imperatores à fide Christiana alieni habuerunt ius ferendi leges Matrimoniales, causasq́ ex Matrimoniis exortas cognoscendi, Idem ergo ius habent alij Imperatores, legitimi illorum in Imperio successores.*

RESPONDEO, maiorem esse falsam vniuersim sumptam. Quia potestas Imperatorum Ethnicorum ideò extendebat se etiam ad Matrimonium Ethnicorum, quòd apud eos Metrimonium non nisi contractus quidam ciuilis esset, non aliter quàm emptio, venditio, &c. At apud Christianos Matrimonium Sacramentum est ex institutione Christi, quod nec inficiatur ipse Occamus. Vnde ad aliud tribunal rectè translatum est: quo quidem ipso, imminuta nonnihil remansit potestas Successorum, respectu Antecessorum; siquidem hi aliquid iuris habuerunt in cõtractum Matrimonij, in quem Posterioribus, propter Sacramentum, nihil relictum est; vt & suprà demonstrauimus: *At fides*, inquit Occamus, *Christiana, potestatem non imminuit.* Respondetur. Non quidem imminuit fides potestatem, sed diuidit. Duas enim potestates complectitur fides seu Religio Christiana: alteram Politicam: alteram Ecclesiasticam. Illa rebus prophanis & ciuilibus; hæc sacris & spiritualibus præest[a]. Cùm ergo ea res, quę anteà prophana erat, ex Christi instituto relata est in classem spiritualium, necesse est, decesserit aliquid potestati Politicæ, & ad angustiores terminos, quàm anteà, redacta sit; & catenus potestas imminuta aliquo modo censetur, dum Matrimonij dispositio & iudicium illi subtrahitur, & Ecclesiastico Magistratui applicatur.

[a] *Nouella 6. Quomodo oporteat Episco. in princ. c. denique c. duo sunt. c. si Imperator. dist. 96.*

FALSVM est autem, vel Philippum, vel Constantinum, plenum ius Imperij retinuisse, hoc est, omnem illam potestatem sibi vendicasse, quam exer-

exercuerunt Ethnici Imperatores. Extant quidem de Matrimonio duæ constitutiones Philippi, sub titul. Codic. de interdicto Matrimonio[b]; sed quas ipse tulit, cùm nondum Christianus esset, vel ad rogationem Ethnicorum, de quorum Matrimonio agebatur: Argumento est, quòd is imperauerit tempore Fabiani Pontificis, cuius decreta de Matrimonio extant apud Gratianum[c]; quæ vtique non tulisset Fabianus vir sanctus, si ius condendi leges Matrimoniales pertinere ad Imperatorem existimâsset. Quæ verò à Constantino Magno leges circa Matrimonium latæ sunt[d]; eæ non nisi hac conditione, si & consensus Ecclesiæ accederet, latas fuisse omninò verisimile est. Quo modo enim leges suas Matrimoniales non subiecisset Ecclesiæ iudicio, qui in Synodo Nicæna nulli Episcopo se anteposuit, sed omnibus postposuit, qui & cognitionem Ecclesiasticarum controuersiarum inter Episcopos nullo modo vsurpare voluit[e]:

b l. 4. & l. si

c in c. de consanguinitate. & in c. qui propinquam. 32. q. 2.

d l. 3. C. de incest. & inutil. nup. l. vxor. 7. C. de repud.

e c. futuram. 12. q. 1. vide acta Concilij Nicæni.

SECVNDÒ ad argumentum Occami: concessa maiore, minor distinguenda est. Nam si sensus sit, Imperatores Ethnicos habuisse potestatem constituendi & legibus temperandi Matrimonia Christianorum; tùm negatur minor. At si sensus sit, Imperatores huiusmodi ius habuisse circa Matrimonia Ethnicorum; tùm minor admittitur; Sed addendum est, eâdē potestate præditos esse Christianos Imperatores; Cùm nemo inficias eat, quin si Christianus Imperator aut Rex subditos infideles habeat, præscribere illis possit, qui, cum quibus,

 quan-

q *Vide quæ supra diximus ad 9. & 10. conuit.*

ge Euangelica q: Cùm item conceditis, vt si aliquamdiu absit maritus, nec tamen semel atque iterum citatus compareat, vxor alteri liberè nubat. Naturali insuper honestati valdè consentaneum esse, plerosque gradus affinitatis, quos Ius Canonicum statuit, simul cum omni spirituali cognatione, è medio tollere, ipsosque etiam consanguinitatis gradus contrahere & truncare: Item homines Deo votiuos, Monachos, Clericos, Moniales, ad nuptias admittere & adigere, tam verbis, quàm exemplis. Totum hoc, nihil aliud est, *quam Clericorum & Monachorum fermentum repurgare*, vt tu ais: At mihi videtur, vos repurgando ea, quæ repurgatione non egent, paulatim ad omnis honestatis abolitionem tendere, nisi Deus maturè vestris conatibus obsistat: non enim exigua semina huius tam præclaræ repurgationis iacta sunt à vestris hominibus, quæ si quando adolescant, mox id, quod adhuc reliquum est ingenui pudoris, tenues in auras dilabetur.

CÆTERVM mirari subit, cur nouas Iuris Connubialis leges, vobis fabricaueritis? An non sat multas fecerat Iustinianus? Si displicebant illæ in Pandectis, cur non retinuistis leges nuptiales Codicis & Nouellarum? An non sæpius fassus es, omnia quæ ab antiquis de Matrimonio tradita sunt, optima ratione fuisse constituta? Cur conuellitis sine ratione, quod optima ratione constitutum est? Putabat Iustinianus, vt tu quidem mentem eius interpretaris, Ius Connubiale pertinere ad se. Tu verò illud valdè liberalitèr cuiuis Magi-

ſtratui concedis. Ex quo quantum confuſionis naſcatur, nemo non intelligit: dum quòd Matrimonium vnus Princeps, vnusque Magiſtratus probat, alij improbant: Quòd vt legitimum iſti agnoſcunt, alij ob diuerſa ſua decreta, vt nefarium condemnant. Cur enim hæc vel illa ciuitas amplectatur leges connubiales alterius, nulla ratio eſt; cùm eadem libertate & luce Euangelica perfruatur, & eandem poteſtatem habeat, te cenſore, condendi leges nuptiales? Falſiſſimum autem eſt, Magiſtratum Chriſtianum idem olim quoque factitâſſe, hoc eſt, nouas ordinationes & conſtitutiones municipales, circa Matrimonia ineunda, conſtituenda & diſſoluenda, ſibi collegiſſe & publicâſſe: Nam Iuſtinianus hanc poteſtatem ſibi & ſucceſſoribus ſuis reſeruauit. Quo iure, ſuprà vidimus. Neque vnquam inferioris Magiſtratus terminos eouſque produxit, vt ei legiſlationem, circa Matrimonialem contractum concederet; legiſlationem, inquam: nam cognitionem ex legum præſcripto conceſſit; quod liquidum eſt omni illi, qui conſtitutiones Iuſtiniani euoluit vel inſpexit. Ergo nè ex legibus quidem ciuilibus Iuſtiniani id licuit cuiuis Magiſtratui inferiori? Quamuis ſecundùm rei veritatem nec Iuſtiniano quidem, aut alteri Imperatori licitum fuerit; Cùm Matrimonium Sacramentum ſit apud Chriſtianos; cuius proinde moderatio & legiſlatio, ad Eccleſiaſticum Magiſtratū pertinet, non iure aliquo humano, vel *titulo præſcriptionis*, vt tu hîc hallucinaris, ſed iure diuino,

fundato in illo[t]: *Quicquid ligaueris super terram, &c.* Et in illo[s]: *Pasce oues meas*, & id genus aliis locis. Quod ius diuinum, nulla vnquam hominum temeritas, & petulantia, & maledicentia interrumpet; quia stat, stabitque illa Christi promissio[t]: *Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Interim *instate*, Aduersarij; *commordete, citius multo frangetis dentes, quàm imprimetis*; & simul hunc Canonem ab Oecumenico Concilio habete: *Siquis dixerit, causas Matrimoniales non spectare ad iudices Ecclesiasticos, anathema sit*[u].

t Matthæi. 16.
s Ioan. 21.
u Concil. Trid. Sess. 24. can. 12.

REFVTATIO SECVNDI TRACTATVS, NOMINE MARSILII DE PADVA EDITI.

IAM ad alterum tractatum transeamus, qui nomine Marsilij de Padua inscribitur. In quo initio præsupponit Marsilius; in Ecclesia nullam esse potestatem leges condendi propriè dictas, à Ciuilibus distinctas, quæ vim coactiuam habeant. Quo iacto fundamento per se sequi ait: *Pontificem, & alios Ecclesiasticos, non habere vllam potestatem coactiuam circa res Matrimoniales, siue condendo leges, siue diiudicando causas Matrimoniales.* Idem hoc tempore sentiunt omnes passim hæretici, præsertim Lutherani & Caluinistæ, dum docent Ecclesiasticos superiores *tantùm habere clauem*; *hanc autem exerceri duntaxat docendo siue prædicando Euangelium, &c.*

& porrigendo Sacramenta, vt loquitur Melanchton in Confessione Augustana. Concedunt tamen *fas esse Pastoribus facere ordinationes, vt res ordine gerantur in Ecclesia, quas cuiuis obseruare sit liberum, & quas secluso scandalo quis impunè transgredi queat. Tales ordinationes aiunt esse illas, de die Dominico loco Sabbathi celebrando, de festo Paschatis, Pentecostes, vbi & quando conueniendum sit, vt audiatur verbum Dei, &c.*

VERVM hic error plurimis & grauissimis sacræ Scripturæ locis, tum aliis argumentis refellitur à Bellarmino [a] & Gregorio de Valentia [b]: Præcipuè ex 24. cap. apud Matthæum. & 20. cap. apud Ioannem, vbi Christus inquit: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, sicut misit me pater, & ego mitto vos, &c.* Et ex 15. cap. Actor. *Visum est*, ait D. Petrus, *Spiritui sancto & nobis, nihil vltrà vobis imponere oneris, nisi hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, à suffocato, & sanguine, & fornicatione.* Tum ex illo loco apud Ioannem 21. cap. *Pasce oues meas.* Certè ipsum nomen Pastoris & Præpositi, quæ Prælatis, aliisque Ecclesiæ ministris tribuunt sacræ Scripturæ [c], satis conuincunt, eos habere potestatem condendi leges propriè dictas, hoc est, quæ obligationem & necessitatem subditis adferunt. Primum enim; qualis Pastor is censendus est, qui oues suas, si obtemperare nolunt, non possit in ordinem cogere? Qualis, inquam, qui sua iussa potius cogitur subiicere ouibus suis, vt si libuerit, ea capessant, si auersentur, reiiciant? Qualis Præpositus, qui illud apud subditos suos efficere nequit, vt imperata faciant idque si non vir-

a Bellarmin. lib. 4. de Pontifice. cap. 15. & seq.

b Gregor. de Valent. tomo 2. disput. 7. q. 5. punct. 2.

c Ioan 21. ad Ephes. 4. Actor. 20.

tutis amore, saltem formidine pœnæ? qui ita gregi suo præpositus est, vt verè sit postpositus, aut iuxtà positus? Quales Episcopi animarum, quibus in suæ fidei commissos plus inspectionis concessum non est, quàm concedant subditi, non modò vniuersi, sed & singuli? Quod si Magistratui politico permissum est, leges & statuta condere boni communis causâ, cur non similiter Ecclesiastico ad tuendum Ecclesiæ statum, & ad retinendos Christianos in officio?

ACCEDAT perpetua consuetudo Ecclesiæ, à temporibus Apostolorum ad hæc vsque traducta. Extant Apostolorum Canones, à Francisco Turriano vindicati ab iniuriis Centuriatorũ Magdeburgensium. Extant varia decreta omnium ferè Summorum Pontificum, videlicet Clementis, qui anno Domini 92. Pontificatum iniit, *in c. talis. dist. 23. in c. nullus. dist. 38. in c. Sacerdotes, 2. q. 7. in c. si autem 11. q. 3.* Item Anacleti, qui anno Dñi 102. *in c. in nouo. dist. 21, in c. ordinationes. dist. 64. in c. ordinatiões. dist. 75. in c. electionem. dist. 79.* Item Euaristi, qui Anacleto successit circà annum 112. *in c. sicut vir. 7. q. 1. in c. 1. & in c. si qui sint. 11. q. 7. in c. aliter. 30. q. 5.* Itẽ Alexandri, qui Euaristum subsequutus est circa annum 120. *in c. in Sacramentorum. de consecratio. dist. 2. in c. aquam sale, de consecratio dist. 3.* Item Sixti, qui Alexandro suffectus est, anno 129. *in c. in sancta. de consecratio. dist. 1.* Item Telesphori, qui Sixto, anno 139. *in c. statuimus. dist. 4. in c. accusatori, 3. q. 9.* Et sic subsequentèr reliquorum Pontificum; Horum, inquam, decreta, & responsa extant apud Gratianum, tum apud alios Auctores. Quibus si adieceris Canones

nes Conciliorum Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini, Chalcedonensis (quos tanquam sacras Scripturas & leges recepit & obseruauit ipse Iustinianus[d]) tùm aliorum Conciliorum, tam Vniuersalium quàm Prouincialium siue Episcopalium sanctiones, & libros Decretalium, qui omnibus obuij sunt; certò constabit, neque refragari quisquam poterit; Summos Pontifices aliosque Prælatos Ecclesiasticos ab initio nascentis Ecclesiæ perpetuò leges condidisse & edidisse, & quidem propriè dictas, quibus sæpissimè excommunicationem, aliamúe censuram Ecclesiasticam, maioris obseruationis ergo, attexuerunt. Vnde quis non videt, minimè ea mutari oportere, quæ interpretationem certam semper habuerunt[e]. Quare & ipse Melanchton, cùm certis argumentis se oppressum cerneret, ita ausus est pronunciare[f]. *Nec satis est vociferari: Episcopi non habent potestatem leges condendi; Ideò licet violare traditiones, hoc est, leges ab Episcopis latas. Debemus enim obedire etiam iniqua imperantibus.* Cæterùm excutiamus argumenta, quibus Marsilius probare nititur, Iudices Ecclesiasticos esse tantùm Doctores nullâ coactiua auctoritate vel potestate præditos.

PRIMVM argumentum. *Cùm Christus Apostolos mitteret Euangelij nunciandi causâ in vniuersum orbem, non mandauit illis, vt leges ferrent, sed vt baptizarent omnes gentes, &c. docentes eos seruare omnia, quæcunque mandaui.* Sed huic occurrit Bellarminus: In iis, quæ mandauit Christus, illud etiam esse, vt seruentur præcepta Prælatorum. At enim Christus: *Qui vos audit, me audit*[g]. SECVN-

d *in Nouel. 131. de Ecclesiast. titul. Nouel. 83. Vt clerici apud proprios Episcop. §. fi.*

e *l. minimè 23 ff. de legib.*

f *in disput. de libert. Christiana.*

g *Lucæ 10. Bellar de Ro. Pontif. lib. 4 ca. 17.*

Secvndvm argumentum. *Christus in hoc seculo non habuit potestatem coactiuam, quatenus homo: Ergo nec Apostoli eam habuerunt, nec eam habent, qui Apostolis succedunt Episcopi, & alij iudices Ecclesiastici.* Antecedens probat ex illo: *Regnum meum non est de hoc mundo*[h]. *Ecce,* inquit Marsilius, *quantùm ad authoritatem: si enim esset de hoc mundo, decertarent vtique ministri mei. Ecce,* inquit, *quantum ad arma, siue coactiuam potestatem. Idem etiam inde liquet, quòd cùm quidam peteret ab ipso diuisionem hæreditatis cum fratre: respondit: homo, quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos, vel inter te & fratrem tuum*[i]. *Quasi diceceret, tale iudicium exercere non conuenit mihi.* Antecedens negant rectè Theologi nostri. Verè enim habuit Christus in hoc mundo regnum & principatum spiritualem, vnà cum vi coactiuâ. Cùm ipse fuerit secundùm Isaiæ vaticinium, *Dominus Legifer noster*[k]. Vt igitur lex necessitatem imponit subditis, ita & legifer per ipsam legem. Cùm ergo Christus spiritualem potestatem coactiuam habuerit, dubium nõ est, quin potuerit eandem cõmunicare Rectoribus huius regni spiritualis; hoc est Ecclesiæ seu Ecclesiæ præsulibus. Illa verò Scripturæ testimonia tantùm probant Christum, vt hominem, non fuisse politicè & teporaliter Regem ac Dominum, quia propriè & per se spiritualiter fuit Rex: quemadmodum latius persequitur Bellarminus[l] & Gregorius de Valentia[m].

Tertivm argumentum. *Reges gentium dominantur, eorum vos autem non sic,* inquit Christus instituens Apostolos[n]. *Quibus verbis videtur,* putat

h Ioannis 18. cap.

i Lucæ 12.

k Isaiæ 33.

l lib. 5. de Romano Pontif. cap. 4.

m tomo 4. disput. 1. q. 22. puncto 6.

n Lucæ 22.

Marsilius, *illis omnem potestatem coactiuam adimere, etiam ex sententia S. Bernardi, qui ait: planum esse Apostolis dominatum interdici.* Idem argumentum Caluinus adfert [o]; sed facilè dissoluitur à Bellarmino [p], quòd scilicet his verbis Christus solùm instituerit meros Principes Ecclesiasticos, quos vt tales, vult præesse subditis, non more Regum & dominorum, sed more patrum & pastorum. Non autem sequitur hinc, non posse vnum & eundem esse Episcopum & Principem. Vt taceam, Christum eo loco non vti *dominandi* verbo, sed alio, quod *violentam dominationem* significat. Ait enim *κατακυριεύουσιν αὐτῶν, violenter dominantur eorum,* Quo verbo etiam vtitur S. Petrus, cùm vult, vt *non sint dominantes in clero,* hoc est, violenter dominantes [q]. Quod ad D. Bernardum attinet, is non loquitur de spirituali potestate & dominatione concessa Pontifici à Christo, sed de temporali. Nec tamen vult Pontificem, aut alios Principes Ecclesiasticos non posse simul habere dominium temporale, sed tantùm docet, Pontificem, vt est Pastor, à Christo eiusmodi dominium non recepisse, quale habent temporales Reges ac Domini. Atque adeò quatenus pastor est, non debere temporaliter dominari ouibus suis, licèt iisdem, vt ciues sunt, & alio iure sibi subiectæ, nō impediatur eas regere tanquam Princeps politicus. Non aduersari autem diuinis literis, vt in eandem personam simul concurrant & conueniant potestas Ecclesiastica, qualem habent Pastores, & ciuilis siue politica, qualē habent Principes, multis exemplis ex sacra Scriptura & histo-

o lib. 4. Instit. cap. 11. §. 8.

p lib. 5. de S. Pontif. cap. 10.

q 1. Petri. 5.

riis demonſtrat idem Bellarminus, & comprobat vſus Germaniæ noſtræ, in qua omnes Epiſcopi, tū pleriq; Abbates, ſimul Principes Imperij ſunt, &c, temporalem iuriſdictionem exercent; ita vt minimè abſurdum ſit, in vnum hominē vtramq; poteſtatem coîre: quin maximè conueniens, vt quos Epiſcopi Eccleſiaſtica poteſtate ſua continere, & ad officium reuocare non poſſunt, ſaltem poteſtate ſeculari, quâ prædíti ſunt, adigant & coërceant.

PRÆDICTIS addit Marſilius locum illum Apoſtoli: *Non quia dominamur fidei veſtræ*[r]. Vbi videtur ſignificare, ſe nulla erga fideles coactiua poteſtate præditum fuiſſe. Quod confirmat idem Marſilius auctoritate S. Ambroſij, S. Chryſoſtomi, & Hugonis de S. Victore. Verùm alia verborum D. Pauli ſententia eſt, quod videlicet nullus homo alteri fidē dare poſſit, cùm ſit donum Dei, vel etiam adimere, cùm ſit actus voluntatis propriȩ, fidem nefariè deſerentis. Vel verborum hic ſenſus eſt, quòd is, qui ſemel fidem ſuſcepit, ſed poſtea eam reiecit; ſimpliciter & præcisè ad reſumēdam fidem conſtringi non poſſit, cùm hæc res à reſumentis voluntate pendeat. Quamuis enim Eccleſia hæreticos pœnarum ſeueritate compellere poſſit, vt ad Eccleſiaam redeant, atque adeò, mentem Catholicam induant: non eſt tamen in eius poteſtate ſitum, vt ſi hæreticus abſolutè crecredere nolit, Eccleſia inuito ipſi actum credendi iniicere poſſit. Ita ex ſententia Iacobi Gretſeri Theologi Ingolſt.

r 2. Corinth. 1.

ITAQVE ex hoc duplici ſenſu, licèt nihil iuris vel poteſtatis in fidem habuerit Apoſtolus, aut Apoſto-

postoli successores Episcopi: in fideles tamen hoc sibi vsurpant, vt tanquam Pastores,& Doctores,& Superiores, & Præpositi, bonum spirituale illis procurent,& pœnis Ecclesiasticis, aliisq; modis, si à recta fide desciscant, coërcere possint, etiam implorato, si contumaciores sint, seculari brachio. Quamuis & ipsi Principes seculares auctoritate sua,propositis edictis pœnalibus, tum animaduersione publica sartam & tectam tueri possint & teneantur Catholicam fidem; cùm & ad defensionem Ecclesiæ à Deo constituti sint. *Debes Imperator*, inquit Leo Papa,ad Leonem Augustum,*incunctanter aduertere, regiam potestatē tibi non solùm ad mundi regimen, sed màximè ad Ecclesiæ præsidium, esse collatam, vt ausus nefarios comprimendo, & quæ benè sunt statuta, defendas, & veram pacem his,quæ sunt turbata restituas*[s]. Et Anastasius II. Papa,ad Anastasium Imperatorem: *Hoc*, inquit, *præcipuè insinuo Serenitati tuæ, vt cùm causa Alexandrinorum patuerint piissimis auribus vestris, ad Catholicam & synceram fidem eos, auctoritate, sapientia diuinisq; vestris mādatis redire faciatis*[t]. Vt hinc multæ Impp. Christianorum constitutiones,libro primo Codicis, in hæreticos & apostatas extent. Hac enim ratione fit, vt qui fideles sunt,pœnarum saltem metu, in officio contineantur, & qui impiè desciuerunt, earum animaduersione reducantur. Quam in rem lubet hîc, accersere sententiam D. Augustini, in Epistola 48. ad Vincentium[u]. *Mea*, inquit, *primitùs sententia erat, neminē ad vnitatē Christi esse cogendū, verbo esse agēdum, disputatione pugnandū ratione vincendum; nè fictos Catholicos haberemus, quos apertos hæreticos noueramus. Sed hæc opinio mea non contra-*

s *Epistola 75.*

t *extat in Epist. ad eundem Imp.*

u *extat in decreto Grat. in c. vides. 23. q. 6.*

dicentium verbis, sed demonstrantium superabatur exemplis. Nam primò mihi opponebatur ciuitas mea, quæ cùm tota esset in partem Donati, ad vnitatem Catholicam, timore legum Imperialium conuersa est: quam nunc videmus ita huius vestræ animositatis perniciem detestari, vt in ea nunquam fuisse credatur. Ita aliæ multæ, quæ mihi nominatim commemorabantur, vt ipsis rebus agnoscerem etiam in hac causa intelligi posse, quod scriptum est: Da sapienti occasionem, & sapientior erit [x].

x *Prouerb. 9.*

VNDE non obstat explicationi nostræ dictum Ambrosij, cùm ait: *fidem esse voluntatis, non necessitatis*. Voluntatis enim est, vt recipiatur, necessitatis, vt retineatur. Et vt retineatur, vim coactiuam Ecclesia à Deo habet. Locum Chrysostomi ex lib. 2. de sacerdotio ante medium, explicat Bellarminus, qui & ex aliis eiusdem Chrysostomi locis, ostendit, Chrysostomum non negâsse potestatem Ecclesiasticam [y].

y *lib. 4 de Romano Pont. cap 21.*

AD Hugonem de S. Victore, respondetur, eum loqui de potestate temporali directâ, quam Ecclesiastici habent. Hanc enim non negamus, quin ab Imperatoribus & Principibus, donationis, legati, vel alio titulo acceperint. Neque enim vnquam in mentem venit Hugoni, negare potestatem Ecclesiasticam & spiritualem coactiuam, quã à Christo, non ab Imperatore aut Principibus Ecclesia habet.

EX allatis à se testimoniis infert Marsilius; Episcopos & Ecclesiasticos, esse meros diuinæ legis interpretes, nec quidquam amplius posse, quàm vt interrogati respondeant, vtrum hoc vel illud sit diui-

diuinæ legi conſentaneum; ſicùt & Iuris Ciuilis Doctores & Interpretes plus poteſtatis hodiè poſt veterum Iuriſconſultorum Reſponſa non habent, quàm vt leges antea latas interpretentur; neque poſſe eorum iudicium dici forum aut iuriſdictionem ob defectum poteſtatis coactiuæ. Ex quo vlterius colligit, ferre leges Matrimoniales, & in illis diſpenſare, non eſſe muneris Eccleſiaſtici: Cùm & conſtet multas leges circa Matrimonium eſſe côditas, humana Impp. non diuina authoritate. Vnde ſi quæſtio occurrat, quæ ſolùm ius humanum concernit, tunc Iuriſperitos, vt legis humanæ interpretes, conſulendos eſſe; & Principem, vt legislatorem & dominum, ferre debere ſententiam, prout legibus humanis, & rectæ rationi conſentaneum iudicauerit, eiusque iudicium eſſe *iuriſdictionem* & *forum*; eò quod coactiua poteſtate ſit præditus.

SED quia hæc ex falſis & abſurdis fundamentis colliguntur, mirum non eſt, ſi ipſa falſa & abſurda ſint. Nam quod Apoſtolus ait[z]: *Omnis anima ſubdita ſit poteſtatibus ſublimioribus*; id nobis non refragatur; Cùm poteſtas ſpiritualis ſublimior ſit temporali, ac proinde vel maximè oportet, vt omnis anima huic poteſtati ſit ſubdita. Quod enim Marſilius hunc locum tantùm exponat de Regibus, Ducibus, & Tribunis; nullius momenti eſt: cùm Apoſtolus generalitèr loquatur de omnibus poteſtatibus: Ait enim, *non eſt poteſtas niſi à Deo*[a]; quod huic æquiualet: *Omnis poteſtas à Deo eſt*. Eſſe autem aliquã Eccleſiaſticam poteſtatem, idem

z *ad Roma. 13.*

a *ibid. 13. cap.*

Paulus docet[b]. *Hæc, inquit, absens scripsi, ut non præsens duriùs agam, secundùm potestatem, quam Dominus dedit mihi*[c].

b 2. Corinth. 13.

c Bellarmin. citato loco. cap. 16. vbi testatur & Calumnium Pauli locum ita accipere. lib. 4. Instit. cap. 10. §. 5.

NEC mouet, quòd, *arma militiæ nostræ non sint carnalia*[d]. Quia Ecclesiastica potestas coactiua, de qua agimus, non est carnalis, sed spiritualis, & spiritualem tantummodò finem directè spectat. Neque ob id se implicat negotiis secularibus, qui hanc potestatem Ecclesiasticam exercet iusq; subditis spirituale dicit.

d 2. Corinth. 10.

ILLA verò D. Petri verba[e]: *Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, &c.* iam pridem explicauit Pontifex, *in c. solitæ. 6. ext. de maior. & obed.* cùm Imperator Constantinopolitanus ea obiecisset se efferendi, & Pontificem deprimendi causa: *Si personam, inquit, loquentis, & eorum, ad quos loquebatur, ac vim locutionis diligentiùs attendisses, scribentis non expressisses taliter intellectum. Scribebat enim Apostolus subditis suis, & eos ad humilitatis meritum prouocabat.* Quod pluribus prætereà comprobat.

e 1. Petri 2.

HÆC quoad Marsilium. Aliud enim in tractatu eius refutatione dignum non occurrit; cùm ad finem vsq;, aliud nihil contineat, quàm inanem repetitionem eorum, quæ ipse antè non probauerat. Nempè, *Ecclesiasticos nulla vi coactiua præditos esse; ius hoc solis Principibus competere; Ecclesiasticos tantùm esse legis diuinæ interpretes.* & id genus alia absurdissima, in quibus multum stultitiæ, nihil prudentiæ, multum versutiæ, & nihil doctrinæ.

REFVTATIO TERTII TRACTATVS, DE IVDICE CAVSARVM MATRIMONIALIVM, EDITI NOMINE Guilielmi Occami.

SVCCEDIT tertius Tractatus qui Guilhelmo Occamo adſcribitur, qui licet ſubtiliora aliis argumenta contineat;in ſpeciem tamen omnia contexta ſunt,ab homine alioqui acerrimo: quod mirum non eſt,cùm optima quæq; & acutiſſima ingenia hebeſcant & obtundantur, vbi falſitatem amplecti, & veritatem ſeriò oppugnare ceperint. Quod num Occamo acciderit, lectorem huius diſſertationis arbitrari volo. Et quia Occamus ſcholaſticas metas tranſcendēs, declamatorem potiùs quàm diſputatorem agere voluit: nos tamen argumenta illius ad Dialecticæ formam redigemus,& quâ fieri poteſt,breuitate & perſpicuitate,diſſoluemus.

PRIMVM argumentum. *Imperator Chriſtianus, non minus iuris & poteſtatis habet, quàm habuerunt Imperatores à fide Chriſtianâ alieni; cùm ſit illorum legitimus ſucceſſor,fidesq; Chriſtiana,poteſtatem non imminuat; quod planum itidem fit, exemplo Philippi primi Chriſtianorum Imperatoris*, inquit Occamus, *& Conſtantini Magni, qui plenum Imperij ius retinuerunt. Sed Imperatores à fide Chriſtiana alieni habuerunt ius ferendi leges Matrimoniales,cauſasq; ex Matrimoniis exortas cognoſcendi, Idem ergo ius habent alij Imperatores, legitimi illorum in Imperio ſucceſſores.*

exercuerunt Ethnici Imperatores. Extant quidem de Matrimonio duæ constitutiones Philippi, sub titul. Codic. de interdicto Matrimonio[b]; sed quas ipse tulit, cùm nondum Christianus esset, vel ad rogationem Ethnicorum, de quorum Matrimonio agebatur: Argumento est, quòd is imperauerit tempore Fabiani Pontificis, cuius decreta de Matrimonio extant apud Gratianum[c]; quæ vtique non tulisset Fabianus vir sanctus, si ius condendi leges Matrimoniales pertinere ad Imperatorem existimâsset. Quæ verò à Constantino Magno leges circa Matrimonium latæ sunt[d]; eæ non nisi hac conditione, si & consensus Ecclesiæ accederet, latas fuisse omninò verisimile est. Quo modo enim leges suas Matrimoniales non subiecisset Ecclesiæ iudicio, qui in Synodo Nicæna nulli Episcopo se anteposuit, sed omnibus postposuit, qui & cognitionem Ecclesiasticarum controuersiarum inter Episcopos nullo modo vsurpare voluit[e]:

b l. 4. & l. 5.

c in c. de consanguinitate. & in c. qui propinquam. 32. q. 2.

d l. 3. C. de incest. & inutil. nup. l. vxor. 7. C. de repud.

e c. futuram. 12. q. 2. vide acta Concilij Nicæni.

SECVNDO ad argumentum Occami: concessa maiore, minor distinguenda est. Nam si sensus sit, Imperatores Ethnicos habuisse potestatem constituendi & legibus temperandi Matrimonia Christianorum; tùm negatur minor. At si sensus sit, Imperatores huiusmodi ius habuisse circa Matrimonia Ethnicorum; tùm minor admittitur; Sed addendum est, eâdē potestate præditos esse Christianos Imperatores; Cùm nemo inficias eat, quin si Christianus Imperator aut Rex subditos infideles habeat, præscribere illis possit, qui; cum quibus,

quando, & quomodo nuptialia fœdera inire debeant: ſiquidem infidelium Matrimonium, non eſt Sacramentum, ſed tantùm ciuilis contractus; eius naturæ, vt more aliorum contractuum ciuilium, legibus certis aſtringi queat ab Imperatoribus. Vt hìnc quoq; Pontifices, Matrimonium inter infideles contractum iuxa eorũ leges, quæ tamen conſtitutionibus canonicis aduerſæ ſunt, nolint poſt Baptiſmum ab infidelibus ſuſceptum dirimi, ſicut expreſsè cõſtat *ex c. de infidelibus. 4. ext. de conſang. & affin. ex c. gaudemus. 8.* ext. de diuort. Vbi tamen lectorem admonitum velim, dum textus in d. c. gaudemus, inquit: *Sacramentum coniugij apud fideles & infideles exiſtere*; id accipi oportere, inſpecto contractu Matrimonij, non quatenus Sacramentũ eſt. Vt enim contractus eſt, non minus exiſtit apud infideles, quàm fideles [f]. Neq; enim Matrimoniũ, vt antè meminimus, apud infideles Sacramentum eſſe poteſt, quòd Baptiſmo careant, qui aliorũ Sacramentorum fundamentum & ianua eſt [g].

[f] *c. quanto 7. verſ. nam etſi. ext. de diuortiis.*

[g] *c. 4. de cognat. ſpirit. lib. 6. c. cum itaq. in fi. de conſecrat. diſt. 4.*

SECVNDVM argumentum. *Inter fideles ſubiectos Ethnico Imperatori, verum eſt Matrimonium. Ergo ſubiiciuntur Imperatori ſaltem quoad ea, quæ in lege diuinâ nec præcepta nec expreſsè prohibita ſunt: quia emergente, tempore infidelium Imperatorum, inter fideles circà Matrimonium quæſtione, cauſa illa diſputabatur coram iudice politico.* Reſpondetur; conſequentiam nullam eſſe, & ex eo deductam, quod probandum erat. Nam Pontifices & Epiſcopi adibantur natâ circa Matrimonium quæſtione, eorumque ſententia exquirebatur, non Imperatoris infidelis.

Quod

Quod ex antiquissimis Canonibus & responsis Pontificum liquet; veluti, ex *c. aliter.* 30. *q.* 5. quod est Euaristi Pontificis, qui sedit temporibus Traiani & Alexandri Impp. testibus Damaso & Eusebio [h]. Et Eutychiani Pontificis, in *c. siquis gentilis. cum c. seq.* 28. *q.* 1. qui vixit sub Claudio & Aureliano Impp. teste Genebrardo [i]. Tum ex aliis locis, quæ apud Gratianum & alios auctores extant. Quod si Apostolus [k], vitio vertit fidelibus, quod frater cum fratre iudicio contendat, & hoc apud infideles; quantò magis ipsis vitio vertisset, si non modo in rebus politicis, sed etiam in re spirituali, vt est Matrimonium, infidelem iudicem adiissent. Si enim propter pacem & charitatem maiorem, controuersias, inter fideles potius voluit, vel priuatá vel Ecclesiæ auctoritate componi, quàm auctoritate & sententia iudicis infidelis, (ad cuius tribunal controuersias illas ciuiles pertinere nõ ignorabat) certè nulla ratione passus fuisset, si quis Christianus Christiani Matrimoninij iudicem infidelem sibi delegisset; Matrimonij, inquam, de quo Apostolus dixit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia* [l], An non ipse Apostolus in causa illius incestuosi Corinthij, & nefandi Matrimonij sententiam tulit, non expectatâ sentẽtia Imperatoris, aut alterius iudicis secularis [m]. An nõ alibi præscribit, quomodo fidelis erga mulierem infidelem, vel mulier fidelis erga virum infidelem se gerere debeat [n]? Nec eâ de re sententiam Imperatoris expetiit.

SED vt Occam [o] pressiùs vrgeat: *Ponamus*, inquit, *alterum coniugẽ fuisse fidelem, alterum infidelem, certè tali*

h *Prout eos refert Onuphrius, in notationib. ad Platinam, in vita Anacleti primi.*

i *lib. 3. Chronograph.*

k *1 Corinth. 6.*

l *Ephes. 5. cap.*

m *1. Corinth. 5.*

n *1. Corinth. 7.*

casu non pertinebat cognitio Matrimonij ad Ecclesiasticum iudicem, sed ad politicum. Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? inquit Apostolus[o], *hoc est, de illis, qui non sunt in Ecclesia, vt est alter coniugum, si sit infidelis.* At meminisse debebat Occamus, eundem Apostolum in eâdem Epistola[p], suum iudicium interposuisse de Matrimonio fidelis cum in fideli. Ait enim: *Nam cæteris ego dico, non Dominus*; nec fideles ad Imperatoris tribunal ablegâsse, vt quid facto opus esset, exquirerent. Vt taceam, nonnullis videri, D. Paulum hoc loco tanquam Ecclesiasticum Prælatum legem tulisse, ne vir vel mulier fidelis discedat ab infideli, si sine Creatoris iniuria, vnà degere velint. Inquit enim: *Nam cæteris ego dico, non Dominus: Siquis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, &c.* At de infideli dicit: *Quod si infidelis discedit, discedat.* Causam huius dicti, reddere licet superioribus Apostoli verbis[q]. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? Nonne de iis qui intus sunt, vos iudicatis?*

o 1. Corinth. 5.

p cap. 7.

q cap. 5.

SECVNDO dico. Matrimonium hoc, saltem ratione fidelis, pertinere ad notionem Ecclesiastici iudicis. Cùm enim ex Apostoli testimonio[r], traditione & authoritate Apostolica & perpetuo Ecclesiæ vsu[s]; sciamus fieri posse, vt Matrimonium contractum ante Baptismum post Baptismum dissolui possit, vbi scilicet infidelis nolit cum fideli degere, vel velit quidem, sed non sine iniuria Christi & Religionis Catholicæ. Item cùm sciamus fideli ius fasque esse, vt saltem quoad conui-ctum

r 1. Corinth. 7.

s c. siquis gentilis. cum 2. cc. seqq. 28. q. 1. c. quanto. cum c. seq. ext. de diuort.

ctum & torũ se ab infideli possit separare[t]; necessarium est, vt notio huius rei spectet ad iudicem fidelem, non ad infidelem: apud hunc enim quomodo ius suum persequetur fidelis, cùm infidelis iudex tale ius non agnoscat?

PORRO dictum illud Apostoli: *Quid enim mihi de iis, quæ foris sunt, iudicare*; intelligitur, tàm de rebus, quàm de personis, quæ planè sunt extra iurisdictionem Ecclesiasticam. At Matrimonium hoc, ratione vnius saltem personæ, non est extra forum Ecclesiæ. Possunt igitur, & semper potuerunt de illo statuere & cognoscere Prælati & Iudices Ecclesiastici[u].

OCCVRRET quis. Matrimonium tale, non esse Sacramentum, quod ante Baptismum contractum est, vt suprà dictum est. Ergo non pertinet ad iurisdictionem Ecclesiasticam. Respondetur, licèt non sit Sacramentum, quandoquidem contractum est ab infidelibus, tempore infidelitatis, neq; repeti potest, cùm vinculum ex illo contractu natum non soluatur præcisè per Baptismum[x]. Quia tamen alter coniugum ad Ecclesiam pertinet, meritò etiam, quoad Matrimonialem contractum, ad Ecclesiæ forum spectabit, tùm propter ius diuinum tali Matrimonio annexum: quod nouit iudex fidelis, non autem infidelis: tum quia huiusmodi contractus, iam merè ciuilis esse desinit, & spiritualem quandam rationem induit: alioquin, si ideò præcisè excluderetur ab Ecclesiæ iurisdictione, quia Sacramentum non est; sequeretur etiam Matrimonium duorũ infidelium, postquam

t c. gaudemus. §. circa fi. ext. de diuortiis

u patet ex d. c. § quin. cum aliquos cc. seqq. 28. q. 1.

x constat ex d. gaudemus. circa fi.

iam conuersi sunt, notionis Ecclesiasticæ non esse, cùm non sit formalitèr & completè Sacramentum. At nemo Orthodoxus negat, hoc Matrimonium pertinere ad Ecclesiæ forum, postquam infideles conuersi & hoc Matrimonio obligati, ad hoc forum pertinere cœperunt[y].

[y] Ita hoc argumentũ soluit Iacobus Gretserus Theologiæ Professor, in hac Acad. Ingolstad. cum hac de re inter nos priuatim ageretur.

SED ait Occamus. *Ratione alterius personæ, quæ infidelis est, æquè pertinere posse ad iudicem ciuilem infidelem, ac ratione personæ fidelis, ad iudicem Ecclesiasticum fidelem.* Sed ob causas dictas, patet iam id falsum esse: quia hoc Matrimonium aliam quandam rationem induit, ob ius diuinum annexum, & transitum alterius personæ ad Ecclesiam. Nam posito, quòd infidelis iudex omninò velit, vt coniunx fidelis retineat coniugem infidelem, etiã in Christum blasphemum, & in Christianam Religionem iniuriosum; tum coniunx fiddelis nec potest nec debet obtemperare; nè dum morem gerere velit legislatori & iudici humano, offendat legislatorem & iudicem diuinum, & in eius leges aliquid sceleris admittat. Deinde posito, quòd vterque coniunx simul conuertatur, nihil certè iuris ampliùs in illud Matrimonium iudex vel legislator infidelis habet, etiamsi sub eius iurisdictione Matrimonium hoc antè contractum sit.

VT tandem subtilitate sua Occam, retineat lectorem fingit aliam facti speciem. Ponamus, ait, controuersiam de Matrimonio exortam esse inter coniuges, antequàm altera, vel vtraque pars ad fidem conuerteretur, ante tamen controuersiæ finem

finem: tali casu poterit hæc controuersia Matrimonialis, per Imperatorem infidelem, vel iudicem ab eo constitutum, terminari; nè Religio Christiana, *priuando Imperatorem iure suo, & impediendo dominationem eius, blasphemabile redderet nomen Domini & doctrinam.*

RESPONDETVR, tales omninò transire cum Religione Christiana suscepta ad Ecclesiæ forum, quòd ad causam Matrimonialem attinet. Nam Ecclesiæ erit iudicare, vtrùm legitimè coniuncti sint tales, si de coniunctione agatur; aut vtrùm disiungi debeant, si fortè de disiunctione quæstio nata sit. Idque secundum leges Ciuiles quibus antea contrahere tenebantur[z]. Nec ob id redditur nomen Domini *blasphemabile*, sed potius commendabile: & si fortè blasphemaretur, non nisi ab imperitis, diuiniq; ordinis ignaris blasphamabitur.

z patet ex c. de infide. lib. 4. ext. de consang. & affin. ex c. gaudemus 8. ext. de diuortiis. iuncta Nouella. vt cum de appellatione. in prim & quæ iã antè diximus.

TERTIVM argumentum. *Imperatores tàm fideles, quàm infideles, leges ediderunt non paucas de Matrimonio, rebusq; ad id pertinentibus, antequàm aliquæ leges Ecclesiasticæ apparerent; sicut ex libris legalibus liquidò constat: ergo idem possunt Imperatores nostri.*

SED hoc argumentum satis superq; solutum est suprà, cùm primi tractatus argumenta refutaremus. Hîc breuiter dico, Imperatores Ethnicos, iure tulisse leges de Matrimoniis Ethnicorum; vtpote de contractibus merè ciuilibus: Christianos, si quas tulerint, eas aut alitèr ratas noluisse, nisi cum Ecclesiæ consensu; aut si aliter persuasi fuerint, de facto eas tulisse, non de iure. Quare non

non est necesse, vt posteriores Imperatores hac in re se conforment prioribus.

QVARTVM argumentum. *Leges Ecclesiasticæ, vt & aliæ omnes, ita debent esse comparatæ, vt prosint illis, quos obligant, & nemini notabile detrimentum afferant: ergo si sit aliqua lex Ecclesiastica, cuius obseruatio, aliquo casu, notabile damnum alicui afferat, tùm cessabit eius obligatio: imò quilibet tunc vtendo epiiceia, contra legem agendi potestatem habebit, etiam inconsulto superiore. Cùm ergò leges aliquæ de consanguinitate & affinitate, solo iure Ecclesiastico introductæ sint, si aliqua ex eiusmodi legibus, vergat in alicuius damnum, licitè contra faciat, quamuis non impetrata dispensatione à legislatore.*

RESPONDETVR; leges spectare communem vtilitatem, non verò singulariter huius vel illius[a]. Itaque fieri posset, vt magna vtilitas ad aliquẽ redundaret, si tali vel tali lege solutus esset, non tamen propterea ab obligatione legis illius liberatur sine legislatoris auctoritate siue dispensatione[b]. Quia si ob priuatum commodum vel incommodũ, posset quis agere contra leges Matrimoniales, magna turbatio in Repub. existeret, & pauci admodum leges illas obseruarent, cùm sæpissimè contingere posset, vt magna aliqua vtilitas ad aliquem rediret, si cum affini, vel consanguineo, hoc vel illo gradu coniungeretur.

DEINDE non consequi maius commodum, non est pati incommodum, aut damnum[c]. Licèt ergo quis per prohibitionem Matrimonij impediatur à cõsequutione maioris commodi, non tamen hoc ipso subit incommodum; vt huius causa ab

a *l. iura. 8. ff. de legib.*

b *Vide Couarruuias in 4. lib. Decretal. in 2. parte. c. 6. §. 9 nu. 4.*

c *l. vlt in fi. C. de acquir. & retin. poss.*

ab obseruatione legis liberetur. Accedat, quòd etsi quis reuerâ iacturam faceret, & graue detrimentum incurreret, hoc tamen postponendum esset, boni publici causâ; ad cuius conseruationem & incrementum pertinet, vt leges, præsertim Matrimoniales sanctè & inuiolatè custodiantur[d]. Adde, vbi ex Matrimonio alioquin vetito, magna vtilitas speratur, legislatorem legitimum adiri posse, rogariq;, vt legis illius gratiam faciat, quòd cognita causâ non grauatè faciet, præsertim si Matrimonij illius fructus sese non intra priuatos limites contineat, sed in publicam vtilitatem cedat; quod ferè contingit in Matrimoniis Principum.

d c. 10. 35. q. 1.

AD extremum, nego in his legibus epiiceiam habere locum, aut si locum habeat, eius tamen iudicium & declarationem dico non pertinere ad alium, quàm ad ipsum rerum Matrimonialium legislatorem & iudicem. Nam, vel est certum, vel dubium casum aliquem sub aliqua lege non contineri. Si certum est: fateri oportet, epiiceiam habere locum, nec opus esse ad superiorem recurrere. At in casu Matrimoniali id non accidit, vbi constat, verbi gratiâ, de gradu consanguinitatis vel affinitatis inter personas, quæ Matrimonium inire volunt; tunc enim perspicuum est, talem casum illa lege contineri, cùm manifestum sit, omnibus in tali gradu consanguineis vel affinibus, Matrimonij societatem prohibitam esse; quamuis maxima vtilitas inde comparari posset. Porrò si sit omninò dubium, tunc maximè iudicium Superioris exquirendum est, ne erretur; cùm nemo

præter legislatorem sciat melius, qui casus controuersi lege comprehendantur [e].

e l. f. C. de legib.

QVINTVM argumentum. *Nemo tenetur adire in causis arduis, præsertim respicientibus bonum commune, inimicum suum, præcipuè obstinatum, impium, & crudelem; nec tali personæ modò, sed & ipsi Reip. infensum. Sed fieri potest, vt is, à quo in causa Matrimoniali dispensatio petenda esset, sit talis: ergo hoc casu Princeps obligatus non est vt talem iudicem adeat, sed poterit sua authoritate, omnia Matrimonij vincula relaxare, & omnia impedimenta remouere.* Maiorem probat Occamus ex ipsis decretis & decretalibus Pontificum. Quia coram suspecto iudice, nemo debet compelli litigare. cap. *ad hoc. ext. de rescrip. & cap. cùm inter. ext. de exceptionib. & 3. q. 5. c. quod suspecti. Multò igitur minus compelletur quis ire, dispensationis impetrandæ gratiâ, ad manifestum hostem.* Admitto, quod nemo cogatur sub suspecto iudice litigare, si ius Canonicum spectes. At verò iuxta præscriptum iuris ciuilis tenetur, sed adiuncto Episcopo loci, *auth. si verò contigerit. C. de iudiciis.* Eâdem ergo ratione putas, Principem vel alium non teneri, vt ab eo dispensationem petat, qui sibi inimicus est. Verùm alia ratio est in iudice, alia in legislatore. Vbi enim, iudex suspectus est, & probata est suspicionis causa, res per alium iudicem expeditur de iure Canonum [f]: aut per adiunctum Episcopum de iure Ciuili [g], idque ex concessione iuris. Legislator verò potestatem hanc nemini indulsit, vt se legibus Matrimonialibus eximere possit; ac proinde nihil interest, is Principi iure vel iniuria offensus sit.

f c. secundò 41. & tertiò. c. cum speciali. 61. ext. de appellatio.
g auth. si verò. C. de iudiciis.

SED

SED quid si nullo modo possit adiri Pontifex, resq; mora non patiatur; Respondetur, casum esse Metaphysicum. Nam via Romam versùs, nunquam adhuc literis & nunciis penitus interclusa fuit, præsertim si mittatur ab Imperatore pro dispensatione, quam haud grauatè concedit Pontifex, si iusta causa subsit, & ius diuinum non reluctetur.

NEC argumentatur tantùm Occamus, vt id quod instituit, probet; sed prætereà ostendere conatur, argumenta, quibus soli Ecclesiastico Magistratui cognitio causarum Matrimonialium asseritur, nihil necessariò concludere. Quia, existimat, si causæ Matrimoniales pertinerent tantummodo ad Magistratum Ecclesiasticum, id ideò esset, quòd Matrimonium sit Sacramentum, hoc est, res spiritualis. Sacramentum autem & causæ spirituales per Ecclesiam solum modò ministrari debent & contractari, sicut Canones testantur.

SED hoc argumentum non valet; Quia erroneum est, inquit Occamus, *omnia Sacramenta in omni casu per Clericos solummodo esse ministranda. Cùm Sacramentum Baptismi, quod specialitèr est noui Testamenti, laici etiam in pluribus casibus, secundùm eos, possint conferre.*

SED respondetur, argumentum hoc Orthodoxorum esse firmum, & obiectionem Occami inanem; ex quá manifestè elucet quomodo magna quoq; & pspicacia ingenia, odio & liuore excæcari soleant. Non quæritur, quis Sacramenta administrare possit, sed quis sit legitim⁹ iudex & legislator in causis Matrimonialibus. Quis aũt nescit, etiam

alicuius ſpiritualis rei, hoc eſt, Sacramenti, miniſtros poſſe eſſe laicos, vt Baptiſmi; imò & Matrimonij miniſtros oportet eſſe laicos, aut ſaltem ſacro ordine non inſignitos. Niſi fortè Occamus Monachis & Sacerdotibus Matrimonij ineundi facultatem concedere velit, per priuilegium, vel leges Imperatoris. Si enim quoad ea, quæ iure diuino circa Matrimonium non ſunt expreſsè præcepta vel prohibita, Imperator eſt legislator, non apparet vlla ratio, cur contra canones nequeat Monachis & Sacerdotibus vxores ducendi, & Monialibus nubendi poteſtatem facere.

SED vt ad propoſitum reuertar; aliud eſt quærere de miniſtro rei ſpiritualis, aliud de moderatore & legislatore, qui præſcribat, quì, quomodo, quando, à quibus, res ſpiritualis iniri, obiri, & tractari debeat. Hoc dicimus, non laicorum, ſed Eccleſiaſticorum eſſe. Nam licèt mulier poſſit baptizare, non poteſt tamen ferre leges de Baptiſmo. Et licèt ruſtici, aut priuati poſſint inire Matrimonium, non poſſunt tamen ferre leges de Matrimonio.

ADDIT Occamus, *ea non pertinere ad Imperatores, ſeu fideles ſeu infideles, quæ circa Matrimoniũ in ſacris litteris conſtituta ſunt. Nam ſi tempore infidelium Imperatorum,* inquit, *inter fideles fuiſſet quæſtio mota de coniugio Sacerdotum, de quo habetur 1. ad Timoth. 3. & ad Tit. 1. Vel de coniugio alterius conuerſi ad fidem, altero coniuge in infidelitate remanente, de quo habetur 1. Cor. 7. aut de aliquo ſimili: non per Imperatorem, ſed per fideles ſopienda fuiſſet,* Ergo ſi S. Paulus nihil dixiſſet de illis con-

coniugiis, tùm pertinuiſſet ad Imperatorem, etiam infidelem. Itaq; dicendo tantùm ademit imperatori eorum cognitionem. Quod ſi Apoſtolus nihil omnino de Matrimonio dixiſſet, quoad omnia Matrimonium Imperatori etiam infideli ſubiectum fuiſſet. Sin omnia dixiſſet Apoſtolus, ex ſententia Occami, omnia Imperatori adempta forent. Quanto verò rectiùs ex hoc D. Pauli exemplo & facto argumentaretur Occamus hoc pacto: Apoſtolus licitè potuit, inconſulto Magiſtratu politico, tanquam Prælatus Eccleſiaſticus, ordinare aliqua circa Matrimonium, præter illa, quæ lex naturæ, aut Chriſtus tradidit. Idem ergo poteſt Sum. Póntifex Chriſti in terris Vicarius, & Apoſtolorum ſucceſſor: cui dictum eſt, *Quodcunque ſolueris ſuper terram, &c.*[h] Hoc certè factum S. Pauli in Matrimonio ordinando, inconſultis politicis Magiſtratibus, argumento eſt, eâdem poteſtate preditos eſſe illos, qui Apoſtolis ſuccedunt: præſertim illum, qui Apoſtolorum Principis ſucceſſor eſt, id eſt, Romanus Pontifex. h *Matthæi 16.*

ARGVMENTANTVR etiam Catholici inde, quòd Matrimoniales cauſæ pertineant ad iudicem Eccleſiaſticum; quia, inquiunt, Matrimonium eſt res ſpiritualis. Obiicit Occamus: *Principes poſſunt ferre leges, de bonis moribus & virtutibus, item de vitiis & peccatis oppoſitis: ergo etiam de Matrimonio.* Probatur conſequentia. *Quia virtutes, & peccata virtutibus oppoſita, ſunt res ſpirituales, imò magis videntur eſſe ſpirituales, quàm alia nonnulla, qua-*

 rum

rum notionem Ecclesiastici sibi vendicant. Ergo quod Matrimonium spirituale sit, non obstabit, quò minus secularis Princeps de eo possit cognoscere. Respondetur: Matrimonium, vt Sacramentum, est res spiritualis, quia gratiam confert, ad id à Christo institutum, quamuis & significet spiritualem illam coniunctionem Christi cum Ecclesia, iuxta illud D. Pauli: *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico in Christo & in Ecclesia*[i]. Virtutes verò & vitia, res natura sua spirituales sunt, & eatenus considerantur à politico Magistratu, quatenus principaliter conseruant vel destruunt bonum ciuile, cuius ille administer est: non verò, vt sunt res, quatenus promouent vel impediunt æternam beatitudinem: At gratia illa, quæ Matrimonio inest, cùm supernaturalis sit, meritò efficit, vt Matrimonij dispositio & controuersiæ ad Ecclesiæ iudicium spectent; vt & in reliquis Sacramentis. Vnde argumentum Occami deductum à virtutibus & vitiis ad Matrimonium, minimè procedit.

i Cathechismus Roman. de Matrimonij Sacram. nu. 15.

Argvmentantvr insuper Catholici ex Canonibus, qui tradunt, causas Matrimoniales pertinete ad Ecclesiasticos. Respondet Occamus, *hoc argumentum non vrgere: quia Canones tradunt, causas Matrimoniales pertinere ad Ecclesiam, quantùm ad ea, quæ in lege Dei singulariter exprimuntur.* Sed quam bona hæc responsio sit, clamat ipse quartus Decretalium liber, & tot causæ, & quæstiones apud Gratianum: in quibus tot cernuntur & explanantur causæ Matrimoniales, & leges præscribuntur, quarum rara in sacris literis mentio fit. Vbi,

quæso, prohibent sacræ litteræ, nè in tertio, vel quarto gradu consanguinitatis, aut affinitatis Matrimonium contrahatur? Vbi, nè in Quadragesima nuptiæ celebrentur? At hæc prohibent Canones [k].

k c. non debet 8. ext. de consang. & affi. c. de consanguinitate c. nulli 35. q. 3. c. capellanum 4. ext. de feriis. c. non oportet cùm 8. capp. seqq. 33 q 4.

SED ipse Occamus vidit, hoc responsum non esse conueniens. Aliud ergo affert, *Canones, inquit; tradunt, causas Matrimoniales pertinere ad Ecclesiasticos: at non simplicitèr, sed authoritate Principis, vel virtute cõsuetudinis, consensu Principis aut populi introducta.* At vbi hoc Canones, Occame? Euoluat, qui volet, QVARTVM DECRETALIVM ET CAVSAS GRATIANI; nusquam inueniet, Canones aut condi aut conditos esse auctoritate vel consensu Principis politici, aut vi consuetudinis; sed potestate Ecclesiastica à Christo, Summo Pontifici, aliisq; Ecclesiæ Pastoribus concessa, quam potestatem Canones vbiq; prædicant. Cæterum neq; in hac responsione admodùm firmum præsidium collocans Occamus, tertiam prioribus nihilo meliorem adducit. *Canones*, inquit, *ita intelligi possunt, vt Imperator & alij Principes, & cuncti mortales sint illis obligati, quando prosunt, & in detrimentum Reipub. non redundant, & quando ad Summum Pontificem potest & debet haberi recursus. Quia Imperator huiusmodi causas ad se reuocare potest; præsertim propter culpam clericorum, & ex causa; cùm huiusmodi potestatem, quemadmodum & Ecclesiasticas libertates à prædecessoribus Imperatoribus habere noscantur.*

SED

SED has verborum nebulas, iam suprà discussimus. Nec verum est, Ecclesiasticos accepisse hāc potestatem ab Imperatoribus, cùm à Christo illam habeant; tametsi non negamus immunitates & priuilegia quædam, ab Imperatoribus concessa Ecclesiasticis.

ARGVMENTANTVR etiam Catholici inde: Quod, vt in decretis dicitur, *Constitutionibus Ecclesiasticis, constitutiones Principum non præeminent, sed obsequuntur: & quòd sacræ leges non dedignantur sacros Canones imitari: & quòd Pontificia dignitas, dignior est & maior Imperatoria dignitate.* Hæc, inquit Occamus, *non obstant. Quia intelliguntur de spiritualibus, quæ in solis diuinis scripturis sunt tradita, & quæ fidelibus & infidelibus non sunt communia.* Sed hæc non sunt maioris momenti, quàm alia, quæ paulò antè attulerat Occamus. Nam certum est, ex sententia Canonum, constitutionibus Ecclesiasticis constitutiones Principum obsequi, in iis quæ præscribunt constitutiones Ecclesiasticæ, tanquam leges quædam à legibus diuinis distinctæ. Hoc autem manifestum est, cùm aliunde, tum ex dist. 10. apud Gratianum, vbi hæc ipsa, quæ citat Occamus, verba habentur. Nam in can. *lege*, hæc præter alia habentur: *Non quòd Imperatorum leges (quibus sæpè Ecclesia vtitur contra hæreticos, sæpè contra tyrannos, atque contra prauos quosque defenditur) dicamus penitus renuendas, sed quòd eas Euangelicis, Apostolicis, atque Canonicis decretis (quibus postponenda sunt) nullum posse inferre præiudicium, asseramus.* Ecce hîc, ex mente huius Canonis postponuntur leges Impera-

peratoriæ, non modò Euangelicis & Apostolicis, sed etiam Canonicis decretis. Alius canon ead. dist. ita habet: *Constitutiones contra Canones & decreta Præsulum Romanorum nullius sunt momenti.* Vbi generalitèr canon affirmat, leges ciuiles nihil aduersus Canones posse. Quò fit, vt leges ciuiles, ex sententia Canonum, simplicitèr ipsis Canonibus inferiores sint.

ILLVD vero: *Sacræ leges non dedignantur sacros Canones imitari*[l]: intelligitur pari modo de his, quæ Canones absolutè statuunt, licèt non sint præcepta aut prohibita lege diuinâ. Nam & dictum hoc est Iustiniani Imp.[m] At Iustinianus Canones sequendos putauit, non modò in illis, quæ Canones cum iure diuino præcipiunt aut vetant, sed etiam, quæ Canones soli præcipiunt & vetant. Etenim Canones quatuor Conciliorum; Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Calcedonensis ita probat & recipit, vt eos pro legibus obseruari velit. At certum est, non omnia, quæ in illis quatuor Conciliis decreta sunt, esse etiã diuinâ lege constituta. Vult etiam ea obseruari, quæ à SS. Patribus statuta & tradita sunt circa honestatem Clericorum, & alia diuersa capitula, quæ certè non omnia à sacris literis prodita sunt. Vbi enim lege diuinâ cautum est, quod hoc canone Nicæno continetur, quem citat Iustinianus, & obseruandum præcipit, *Interdixit per omnia sancta Synodus, neq; Episcopo, neq; Presbytero, neq; Diacono, neq; vlli Clericorum licere superintroductam habere, nisi fortè aut matrem, aut sororem, aut*

l *c. 1. ext. de operis noui nunciat. Nouella. vt clerici apud proprios Epis. circa p. & No. de Ecclesiastiuis tit. in princ.*

m *iam allegatis locis.*

amicam, aut etiã eas idoneas personas, quæ suspicionẽ effugiunt[n]. Item vbi iure diuino statuta sunt, quæ Canones de Monachis & Monasteriis decernunt, & quę Iustinianus in Nouella V. sese decreuisse ait, sequutum Canones, idq; in eadem Nouella semel atq; iterũ repetit? Ergo quando Iustinianus, dixit, *leges non dedignantur sequi sacros Canones*; loquutus est de Canonibus decernentibus non modò quæ iure diuino præscripta sunt, sed & quæ iure diuino definita non sunt. Quare cùm Iustinianus se sacris Canonibus accomodat & subiicit, non tantùm intelligit de iis, qui ex diuino iure deprompti sunt, sed & qui merum ius Ecclesiasticum continent. Sed vtinam quod Iustinianus verbo professus est, re ipsa itidem præstitisset. Non enim tot leges, inuitis Canonibus & reluctantibus, de rebus Ecclesiasticis tulisset. de quo suprà latiùs.

n *Nouella.123. de sanctissimis Episc. §. presbyteris autẽ iunge can.3. Concilij Nicæni & c. interdixit dist.32.*

PORRO tertium quod addit Occamus; *Pontificiam, scilicet, dignitatem esse tantùm maiorem secundùm Canones in illis, quæ sacris literis expressa sunt*: Omninò vanum est. Nam vnicum cap. *solitæ. ext. de maior. & obedient*, poterat Occamum impedire, nè hoc scriberet, in quo absolutè sine vlla exceptione, omnis potestas spiritualis ad Ecclesiæ bonum & quietem conducens, Summo Pontifici asseritur. *Non negamus*, inquit ibi textus, *quin præcellat Imperator in temporalib. illos duntaxat, qui ab eo suscipiunt temporalia: sed Pontifex in spiritualibus antecellit, quæ tanto sunt temporalibus digniora, quanto anima præfertur corpori.* Vt alios Canones omittam, qui Pontifici simplicitèr plenum ius in spiritualibus con-

concedunt, siue illud specialitèr sacris literis expressum sit siue secùs[o]. Certè cum Christus Petro dixit[p]: *Pasce oues meas*: non addidit, has vel illas: vel, pasce omnes quidem, verùm quoad illa duntaxat, quæ sacris literis præcepta vel prohibita sunt. Dominus item dixit ad Petrum, & in Petro, ad successores eius: *Quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: nihil excipiens qui dixit quodcunq;.* Cùm igitur hæc ipsa sint iam d. c. solitæ verba; non nisi falsò affirmauit Occamus, Pontificiam potestatem secundum Canones esse maiorem, quàm Imperatoriam, tantùm in illis spiritualibus, quæ sacris literis prodita sunt. An non vidit Occamus illum canonem: *Suscipitis nè libertatē verbi*[q]. An non vidit alios, præsertìm dist. 96. Sed non est necesse, de re clarâ pluribus agere.

QVANDO autem Orthodoxi Doctores, imo ipsi Canones[r], ex illo loco[s]: *Quodcunq; ligaueris super terram, &c.* colligunt, Pontificis potestatem esse absolutam, non restrictam circa spiritualia, ac proinde circa Matrimonium, quod Sacramentum est. Occurrit Occamus, *verba illa generalia, non esse accipiēda generalissimè sine vlla exceptione: alioquin sequuturā inde magnam absurditatū copiam: vt, Papam posse de plenitudine potestatis, Sacramēta à Christo instituta imminuere, & instituere noua. Et præcepta legis Euangelicæ abrogare, sicut Christ' abrogauit ceremōnialia, &c.* Sed nemo est, qui non libentèr agnoscat hanc exceptionē: Neq; enim tantam habet Pontifex potestatē, quantam Christus simplicitèr habuit. Nec enim potest noua Sacramenta instituere, vel instituta abrogare, vel

o c. duo sunt. cum seqq. dist. 96.
p Ioan. 21.
q ext. in c. Suscipitis nè dist. 10.
r d. c. solitæ.
s Matthei. 16.


leges diuinas ferre; vel etiam sine culpa & absque causa Principes imperio & iurisdictione suâ priuare: hæc enim & similia, fatemur non includi illis verbis: *Quodcunque solueris super terram, &c. Quodcunq; ligaueris super terrã, &c.* Nec illis: *Pasce oues meas.* Hoc enim non esset pascere, sed perdere.

Hoc dicimus, semotâ lege diuina, datum esse Pontifici plenam potestatem statuendi, ordinandi & disponendi, quidquid ad bonum spirituale, & ad amplificationem fidei & disciplinæ Christianæ, necessarium vel fructuosum esse videbitur, inspectis circunstãtijs temporum, locorum, hominum. Vt autem Pontifex quicquam de iure diuino Euangelico detrahat aut immutet, aut vt Principes iniustè sua authoritate & libertate priuet; id nullo modo facit, ad Ecclesiæ ædificationem, sed potiùs ad dissipationem. Quò fit vt libentissimè hanc exceptionem verbis illis generalibus subiiciamus. Sed quid inde colligit Occamus? Hoc videlicet: *Si causæ Matrimoniales spectent ad Pontificem tanquam Ecclesiasticæ potestatis obiectum, ob illam promissionem Christi, Matthæi 16. tunc Imperatores spoliari suo iure.* Sed hoc non sequi, liquet ex solutione primi argumenti. Nullus enim Imperator, seu fidelis, seu infidelis, vnquam habuit potestatem in Matrimonium, vt Sacramentum est. Ergo posteriores non priuantur vllo suo iure, cùm nullum habuerint, neque etiam habere potuerint, postquam Christus Ecclesiasticam potestatem instituit; eique res spirituales, quales inprimis Sacramenta sunt, subiecit. Ius autem in Ma-

trimonia infidelium, vt ante Imperatores infideles habuerunt; ita & idem ius hoc tempore non negat Ecclesia illi Imperatori, qui sub sua ditione infideles, nullo modo ad Ecclesiam attinentes, habet.

ATQVE hæc sunt, quæ pro exiguitate temporis, quod ex occupationibus meis quotidianis suffuratus sum, adferre licuit: quæ data occasione, vbi Aduersarius responderit (quod futurum omnino existimo: cum opinionem illam quam primus Iurisconsultorum inbibit, non facilè deseret) latiùs explicabo & confirmabo: Si Deus vitam incolumem & saluam subministrauerit; cui sit laus & gloria in secula seculorum.

FINIS.



LITANIÆ CONTEXTÆ EX EORVM COELITVM NOMINIBVS, QVOS CONSTANTINVS MAGNVS, HELENA MATER, IVSSV ET SVMPTV CONSTANTINI: & Iustinianus templis erectis honorârunt. C. Constantinum. H. Helenam. I. Iustinianum denotat.

Kyrieeleison.
Christeeleison.
Kyrieeleison.
Christe audi nos.
Christe exaudi nos.
Pater de cœlis Deus.
Fili redemptor mundi Deus.
Spiritus sancte Deus.
Sancta Trinitas vnus Deus.
} Miserere nobis.

C. Antiochiæ κυριακόν, & Cõstantinopoli tria, nempè τῆς σοφίας, εἰρήνης καὶ δυνάμεως, Christo dicata, quatenus est sapientia, pax & virtus nostra. Nicephor. lib. 7. c. 49. Templum Sophiæ magnificẽtissimè de integro extruxit Iustin. Vide Procop. lib. 1. de ædif. Iust. & Georgium Codinum in originibus Constantinopolitanis.

S. Maria.
S. Dei genitrix.
S. Virgo Virginum.
} Ora pro nobis.

H. Vnum in Getsemani. 1. in Bethlehem. 1. in Nazareth. Niceph. lib. 8. c. 30. Constantinus. 1. in Gallia Turon. de gloria martyrũ c. 9. Iust. 1. Hierosolymis. Procop. lib. 5. Aliud Constantinopoli ad litus maris, templũ Blacherinũ. Procop. li. 1. Aliud ibid. in loco, qui Hereum. Aliud in loco, qui fons dicitur. Procop. li. 1. Aliud Antiochiæ. lib. 2. in Armenia. lib. 3. in monte Sina. lib. 5. in Hiericho. lib. 5. in monte Oliueti. lib. 5. in Porphyrone. lib. 5. Ægylæ. lib. 6. in Africa. lib. 6. Gadibus. lib. 6.

S. Mi-

S.Michaël. (angeli.	*C. duo. Niceph. lib. 7. c. 50. I. 6. tria Conſtantino-*
Oēs SS. Angeli & Arch	*poli. Aliud Antiochiæ. Aliud in Bithynia. de*
Oēs SS. Beatorũ ſpiri-	*quibus Procop. lib. 1. & alibi*
S.Helia. (tuũ ordines.	*H. vnum. Niceph. lib. 8. cap. 30.*
S. Heliſee.	*H. vnum. Niceph. loc. cit.*
S. Ioſeph.	*H. vnum in Bethlehem. Niceph. lib. 8. cap. 30.*
S. Ioan. Bapſtiſta. (tæ.	*H. vnum. Niceph. loco citato. C. vnum Oſtiis.*
Oēs SS. Pat. & Prophe-	*Vnum Albæ. Anaſtaſius lib. de munificentia*
S. Petre.	*Conſtantini. I. duo. Procop. lib. 1. & 5.*
S. Paule.	*Omnibus Apoſtolis vnum templum ædificauit*
S. Andrea.	*Conſtantinus Conſtantinopoli. Niceph. lib. 7. c.*
S. Iacobe.	*49. vt & poſtea Iuſtinianus. Item Capuæ, Nea-*
S. Ioannes.	*poli Conſtantinus. lib. de munificentia Conſtan-*
S. Thoma.	*tini. S. Petro Romæ. C. S. Paulo ibidem. C. ei-*
S. Iacobe.	*dem Oſtiis. C. Petro & Paulo. I. Conſtantino-*
S. Philippe.	*poli. Procop. lib. 1. Tribus Apoſtolis, Andreæ,*
S. Bartholom.	*Iacobo, Ioanni. H. in monte Thabor. Niceph.*
S. Matthæe.	*lib. 8. c. 30. S. Petro. H. vnum in Tiberiade.*
S. Simon.	*Aliud Hieroſolymis. Niceph. li. 8. c. 30. S. Bar-*
S. Thadæe.	*tholomæo vnum. I. in Doras, in finibus Roma-*
S. Matthia. — Ora p nobis.	*Imperij. Procop. lib. 2.*
S. Luca.	
S. Timothee.	
Oēs SS. Apoſt.	
& Euangeliſtę.	
Oēs SS. diſcipuli Domini.	
Oēs SS. Innoc.	*Omnibus Innocentibus templum vnum H. in Bethlehem. Niceph. lib. 8. c. 30.*
S. Laurenti.	*Vnum Procop. lib. 1. C. vnum Romæ. Anaſtaſius.*
S. Achati.	*Vnum Conſtantinopoli. Procop. lib. 1. & C. ibid.*
S. Sergi.	*Vnum Procop. lib. 5. (Niceph. lib. 7. c. 49.*
S. Plato.	*Vnum Conſtantinopoli.*
S. Georgi.	*Vnum Procop. lib. 3.*
S. Thalelæe.	*Vnum. Procop. lib. 5.*
S. Moci.	*I. Vnum. C. vnum. Niceph. lib. 7. c. 49.*

S. Leonti.	*Vnum. Procop. lib. 5.*
S. Thyrse.	*Vnum. l.*
S. Theodore.	*Vnum. l.*
S. Babyla.	*Vnum. lib. 5.*
S. Agathonice.	*I. vnum Procop. lib. 1. C. vnum Niceph. lib. 7. c. 49.*
S. Anthime.	*I. vnum. lib. 1. Procop.*
S. Trypho.	*I. vnum. Procop. lib. 1.*
S. Luciane.	*C. vnum. Niceph. lib. 7. c. 49.*
SS. Cosma & Damiane.	*Duo. Procop. lib. 1. & 5.*
SS. Marcelline & Petre.	*C. Romæ vnum.*
SS. Mena & Menate.	*I. vnum. Procop. lib. 1. S. Menæ etiam * Constantin. vnũ. Niceph. lib. 7. c. 49.*
SS. viginti mille Martyres.	*C. vnum. Niceph. lib. 7. c. 49.*
Omnes SS. Martyres.	
S. Lazare.	*H. vnum. Niceph. lib. 8. c. 30.*
S. Nicolaë.	*I. vnum Procop. lib. 1.*
S. Prisce.	*I. vnum. Procop. lib. 1.*
S. Ioannes Panteelemon.	*I. Duo. Procop. lib. 1. & 5.*
Oẽs SS. Pontifices & Confess.	
S. Anna.	*I. vnum. Procop. lib. 1.*
S. Agnes.	*C. Romæ Anastasius.*
S. Irene.	*I. vnum. Procop. lib. 1.*
S. Zoee.	*I. vnum. Procop. lib. 1.*
S. Thecla.	*I. vnum. Procop. lib. 1.*



DISPV-

DE
ET
NOV
ALM
publicè
Canisio
Respon
Raed

Quoc
siti



apud Et
nullum a
latius se
tum[b].

Cuiu
bitramur.

DISPVTATIO DVPLEX.

DE SPONSALIBVS ET MATRIMONIIS, ANTE NOVEM CIRCITER ANNOS IN ALMA INGOLSTADIENSI ACADEMIA

publicè proposita & excussa; Præside Henrico Canisio Nouiomago SS. Canonum Professore; Respondentibus verò, Hieronymo Arnoldo de Raedt Geldro, & Leonardo Treytvvein Vtingano, tunc I. V. Studiosis, nunc verò VV. CC. & V.I. Doctoribus.

Disputatio prior.

Quod Matrimonialium Causarum dispositio iuris Pontificij sit.

CAPVT I.

THESIS I.



Vemadmodum Matrimonij vsus latissimè patet (siquidem illud non tantum inter Christianos, verùm etiam apud Ethnicos verè contrahitur & consistit[a]) ita nullum argumentum in Iure Canonũ extat, quod latius se diffundat, & de quo fusius sit pertractatum[b].

a c. quanto. c. gaudemus ex. de diuor. caus. 28 q. 1 per totam.

b vt cõstat ex 10. posteriorib. causis in Decret. Gratiani. Item ex 4. Decretal. Greg. 9. Bonifa. 8. & Clem. 5. & aliis locis.

II.

Cuius duplicem rationem assignari posse arbitramur. Vna est, quod cùm homo naturæ instin-

ctu in contractum Matrimonij propendeat[c]; necesse quoque fuit coniugale commercium tam latè dispersum certis quibusdam legibus tanquam cancellis constringi & coërceri: quippe, vt rectissimè aiunt sacri Concilij Patres: sancta res est Matrimonium, & sanctè tractandum[d].

c l. 1. §. ius autem naturæ. ff. de iust. & iu. instit. de iu. nat. gentiū & ciu. circa princ.
d in Concil. Trid. sess. 24. c. 10. in decret. de reform. Matrim.

III.

Altera est ratio, quòd cùm Matrimonium res spiritualis & Ecclesiastica sit[e], atque ob id eius dispositio & tractatio ad Ecclesiam propriè spectet[f], summorum Pontificum curæ incumbebat, vt proprio iure & authoritate (explosis iis quæ perperam de iure Ciuili sancita sunt) totam Matrimonij materiam, quoad fieri posset, explicarent atque traderent: quo facile accidit, eandem materiam tam fusè iure Canonico dilatatā fuisse.

e d. sess. 24. can. 1. de Sacram. Matrim. ad Ephe. 5. c. tenore. & c. 12. de foro competenti. c. fin. & vtrobique glo. de iudic. in 6.
f c. penult. & vlt. ex. de secundis nupt. c. tuā ext. de ordin. cogn. iuncto c. Ecclesia S. Mariæ ext. de constit. Conc. Trid. d. sess. 24. can 3. 4. & 12. Et cōmuniter Canonistæ ad d. c. Ecclesia S. Maria teste Andr. Gail. lib. 2. obseru. 141. nu. 5.

IIII.

Hinc illud deductum est, leges ciuiles & statuta municipalia siue prouinciarum, quod ad Matrimonij causam attinet, nullius esse momenti, cùm nemo supra iurisdictionem suam possit ius dicere[g].

g gl. fi. ff. de iuris. om. iudic. l. 3. ff. de offic. præsid.

V.

Vnde quæ iure Ciuili de interdicto Matrimonio inter pupillam & tutorem siue curatorem, filiosque eorum, item de non contrahendo Matrimonio absque consensu parentum constituta sunt, iure neminem astringunt[h].

h titulo. C. de interdicto matr. & l. 2. & l. generali. l. filiusfam. ff. de rit. nupt. inst. de nupt. in princ.

VI.

Quod vsque adeò obtinere censemus, etiamsi nullus

nullus contrarius canon, quo hac in re iuri Ciuili derogetur, disertè extet [i].

VII.

Quo ex fonte etiam descendit, pœnam ciuilem, quæ mulieri intra tempus luctus nubenti infligitur [k], iure Canonum sublatam prorsus esse [l], frustrà nobis reluctantibus Paulo de Leaza, Raynero de Forlij & Baldo [m].

VIII.

Item eadem ratione pœnas abolitas esse, quæ superstiti vxori, etiam post annum luctus nubenti: aut marito ad alias nuptias transeunti, ab ipsis legibus inferuntur [n]. Quod & comprobant Panorm. [o], & Decius [p], aduersus Innocentium, Felinum & alios.

IX.

Quamuis non inuiti illud fateamur: posse quandoque Principem sæcularem in re spirituali & Ecclesiastica, ad coërcendum eius abusum, adiicere aliquod edictum pœnale, prohibitioni Canonum, siue constitutionibus Romanorum Pontificum: vt contingit in violatione Matrimonij, iurisiurandi, Catholicæ veritatis fidei [q], & similibus, ad continendam & conseruandam inter subditos ciuilem societatem [r].

X.

Quemadmodum & libenter admittimus, easdem pœnas ciuiles non abrogatas esse in viduis luxuriosè & parum pudicè viuentibus [s]; Nec enim turpitudini parcendum est [t].

i Vide eleganter Felinum ad d. c. eccles. S. Mariæ nu. 39. cũ seq.

k l. 1. & 2. C. de secundis nup.

l c. fin. ex. de secundis nupt.

m Citatu à Felino & Panorm. ad d. cap. eccles. S. Mariæ.

n l. fœmina cum 4. auth. seq. l. cum aliis. l. generaliter cum 3. auth. seq. C. d. t. de 2. nupt.

o in d. c. fin. ex. de 2. nupt.

p ad d. c. eccles. S. Mariæ.

q l. quamuis. C. ad l. Iul. de adult. §. item. l. Iulia de adul. inst. de publ. iud. l. Si quis maior. C. de transact. auth. Gazaros. C. de hær. & Manichæn.

r l. nemo 3. C. de sum. Trinit. arg. c. 2. de const. in 6. l. fin. C. de mo. mul. & l. 1. ff. Si quis ius dic. non obte. Couar. in 4. ex. 2. par. c. 6. nu. 17. cum seq.

s auth. eisdem pœnis. & ibi glo. in ve. pa-ris. C. de 2. nupt. §. vnde sancimus.

t l. fin. C. de reuoc. donat. & l. penul. C. ad S. C. Orficianum.

XI.

An autem pœna raptus ciuilis, qua bona raptoris ipsi fœminæ raptæ applicantur[u], & ex Iustiniani Nouella constitutione illi rursus auferuntur, si cum raptore in Matrimonium coëat[x]; ea oblationis pœna iure Canonico subtracta sit, dubitationis est? Nos sententiæ gloss.[y] Felini[z], & Dicaci Couar.[a] adhærentes, existimamus pœnalem illam ablationem, tanquam libertati Matrimonij inter raptorem & raptam officientem, meritò à iure explosam esse[b].

u l. vn. C. de rap. virg.
x per tex. in Nouel. de rap. mul.
y in c. de puellis in fin. 36. q. 2.
z ad d. c. Eccl. S. Mariæ. nu. 6. cum seq.
a in 4. ext. c. 3 nu. 9.
b c. gēma ex. de spons. l. Titia ff. de verb. obl.

XII.

Sicut etiam arbitramur, nulla ratione reiectam esse pœnalem legis, quæ matri superstiti ob non petitum tutorem filio impuberi, & rationem administrationis non redditam, à iure Ciuili infligitur[c].

c de qua in l. omnem. C. ad S. Tertull. in auth. eisdem pœnis C. de 2. nupt. §. ad hæc si tutelam. in nouel. de nup. & not. glo. ad d. auth. eisdem pœnis.

XIII.

Ex quibus meritò conticescit & placatur celebris illa controuersia: an pater teneatur filiam suam dotare, quæ absque eius consensu nupta est: item an possit filiam exhæredare, quæ ipso inuito nuptias contraxit? Nos cùm Matrimonij summa libertas sit[d], etiam cum infamibus personis[e]; omninò statuimus patrem obstringi, & ad dotandam & instituendam filiam sine assensu eius nuptias contrahentem, præsertim cùm in nuptiis ineundis iure Canonico, quo hac in re vtimur[f], necessariò non requiratur consensus parentum[g], vti nec consensus domini in Matrimonio serui sui[h].

d d. c. gemma & d. l. Titia. & c. cum locum ext. de sponsal.
e c. inter opera ex. de sponsal.
f vt sup. dictum in thes. 3. & 4.
g c. causam de rapto. c. per tuas, de cond. appos. c. veniens. 1. de sponsal. c. sufficit. 24. q. 2. c. 1. de iudic. in 6. Conc. Tri. sess. 24. c. 1. de reform. Matrim.
h c. 1. ext. de coniug. seru.

Idem

XIV.

Idem iuris statuendum censemus in filio; vt nec pater ei ob non impetratum aut accomodatum nuptiis eius assensum subtrahere possit donationem propter nuptias, aut exhæredationis notam infligere.

XV.

Vtrum autem eadem ratio sit consuetudinis & aliarum legum ciuilium & statutorum, iustè addubitari potest: quod quadrimebri distinctione discernendum existimamus.

XVI.

Aut enim loquimur de Matrimonio prout Sacramentum est à Christo Saluatore institutum[i], quo casu, nec consuetudine, vti nec alia constitutione humana quicquam ei addi vel addimi potest[k].

XVII.

Aut verò quæstio est de natura siue substantia ipsius contractus Matrimonij, quæ consistit in legitimo consensu cõtrahentium[l]; & hac quoque specie Matrimonium mutationem nullam recipit. Siquidem res absque substantia sua subsistere non potest[m].

XVIII.

Aut verò personas contrahentium inspicimus: quo casu consuetudo loci potest eas inhabiles reddere ad contrahendum, quæ alioquin de iure habiles sunt[n]. & non è contra[o].

XIX.

Aut denique agitur de solennitatibus Matrimonij.

i Concil. Trid. seß. 24. can. 1. de Sacram. Matrim.

k per c. cùm inferior. ext. de maior. & obed. c. inferior sedes. 21. dist. Clem. 2. de electione.

l c. vlt. circa fin. ext. de spons. duo. c. sufficit. 24. q. 2.

m c. tua. de sponsal. c. cùm ad monasterium. de stat. monach. ext.

n c. 1. & c. super eo ext. de cog. spiritu.

o c. quod super hu. ex. de cons & affin. d. c. super eo. & ibi. Abb. et in d. c. 1. Host. in sum. de cog. spir. §. quis sit effectus. Et ratio traditur in c. 1. 35. q. 1.

nij. quas consuetudine introduci vel abrogari posse extra controuersiam est [p].

XX.

Ita verò longè diuersa ratio statutorum & consuetudinum.

[p] c. final. §. 1. ext. de clandest. despons. d. sess. 24. c. 1. § penul de reform. Matrim. c. 1. & nostrates. 35. q. 8.

DE SPONSALIBVS.

CAPVT II.

THESIS I.



Qvamuis vero, Vlpiano teste [a], sponsalia à spondendo dicta sint, eò quod moris fuerit Veterib. stipulari & spondere sibi vxores futuras; tamen eo postea à legibus & SS. Canonibus decursum est, vt etiam nudo consensu cōtrahentium, rectè sponsalia contrahantur [b].

II.

Qui consensus verbo an facto exprimatur, nihil interest [c].

III.

Quare etiam receptum est, vt & inter absentes per litteras, per nuncium, vel ratihabitionem sponsalia contrahi possint [d].

IV.

Etsi autem appellatione sponsaliorum propriè veniat mētio & repromissio futurarum nuptiarū [e]: Sæpè tamē apud iuris interpretes, tum quoq; apud sacros Canones, eorum nomine cōtinetur Matrimonium, quod necdum carnis copula cōsummatum est [f]. ea ratione, vt author est Panorm. [g] quod in iis futura traditio corporum promittatur.

[a] in l. 1 ff. de sponsal.

[b] l. sufficit. ff. de spōsal. c. 1. de despons. impub. in 6.

[c] d. c. 1. §. fin. & l. in spons. §. in sponsal. & l. sed ea. ff. de spons.

[d] d. §. fin. & d. l. sufficit cum l. seq & l. fi. ff. de spons. c. fi. de procurat. in 6.

[e] secundum definitionem à I. C. positam in l. 1 ff. eod. tit.

[f] c. 2. & fin. ext. de sponsal. duo. c. tertio loco. ext. de præsump. c. coniuges c. si quis desponsatam. c. qui desponsatam. 27. q. 2.

[g] in c. penult. de spōsal.

Quem-

V.

Quemadmodum autem ſponſalia mutuo conſenſu contrahi diximus; ità & contrà, mutuo diſſenſu contrahentium diſtrahuntur[h].

VI.

Quod ex communi interpretum ſententia[i], adeò obtinere cenſemus, licet ſponſalia iuriſiurandi religione confirmata ſint.

VII.

Id enim apud Panorm. & Felinum[k] obſeruatum eſt: quod iuſiurandum præſtitum ad commodum hominis, poſſit remitti ab homine, ad cuius commodum præſtitum eſt[l].

VIII.

Conſentaneum enim eſt, ſublato iure ſponſalium, tolli etiam ipſum iuramentum, tanquam acceſſorium ipſius contractus[m].

IX.

An verò contractus ſponſalium per interpoſitam fidem eodem modo confirmetur, atque per iuriſiurandi adiectionem, non iniuria addubitatum fuit. Sunt enim qui iuramentum & interpoſitam fidem in contractu æquiparent. id eſt, idem robur & eoſdem effectus vtrique tribuant[n]. Nos certioribus iuribus & rationibus fulti, longè iuramentum ab interpoſita fide diſiungimus: licet in Camera aliter obſeruari teſtetur Andr. Gail[o].

X.

Itaq; vbi cõmuni contrahentium diſſenſu à ſpõſalibus diſceſſum non eſt, vnus alteri in tantũ obligatur ad contrahendum Matrimonium, vt authoritate iudicis ad id conſtringi poſſit[p]. Graue enim eſt fidem fallere[q].

h c. 2. ext. de ſponſ.

i Pauor. Felin. ad d. c. 2. & aliorum, prout communẽ aſſerit Couar. in lib. 4. ex. c. 5.

k ad d. c. 2.

l Et probatur per c. 1. ex. de iureiur. Et Innoc. in c. 2. ex. de renũc.

m c. debitores ext. de iureiur. l. non dubiũ. C. de ll. l. fin. C. de non num. pecun. c. acceſſoriũ. de reg. iur. in 6.

n gloſſ. Felin. ad d. c. 2. Butr. Iaſon. ſpecul. relati ab Andr. Gail. lib. 2. obſer. 59. & pro in tex. eſt in c. ad aures. ex. de his quæ vi. me. ca. c. 3. ex de iurei. c. iuramenti, 22. q 5.

o quem omninò vide citato loco.

p c de illis 1. §. fin. de deſpon. impub. c. ex literis Silu. c. ſicut, de ſponſal. ext.

q l 1. ff. de conſtit. pecu.

Vſque

XI.

Vſque adeò, licet ſimplicia ſponſalia, iurata alia cum tertio ſubſecuta ſint, nihilo enim magis prioribus eo caſu derogatur: iuxta veram Innoc. & Panorm. ſententiam[r].

r ad d. c. ſicut.

XII.

Neque in inuito ſponſo ſuccedit facti æſtimatio, vti contingit in reliquis obligationibus facti, in quibus ex Interpretum ſententia, quis præciſè cogi non poteſt ad factũ, ſed præſtando intereſſe liberatur[s]. Nam vtcunque hæc ſententia vera ſit, nõ habet tamen locum in ſpiritualibus, quæ non recipiunt æſtimationem[t].

s per tex. in l. ſtipulationes non diuid. §. Celſus ff. de verb. oblig.
t Panorm. d. c. ex litteris un. §. c. fi. ext. de rer permutat.

XIII.

Neque etiam aduerſatur nobis reſponſum Iulij tertij[u], aſſerentis ſponſum reluctantem & inuitum potiùs monendum eſſe, quàm compellendum ad Matrimonium contrahendum: id enim verum eſt, ſi in ſponſo probabilis cauſa ſubſit reluctandi. ſin minus, omninò & per Eccleſiaſticam cenſuram ad complendum contractum Matrimonij conſtringi poſſit[x]; vt tandem ex nolente fiat volens[y].

u in c. requiſiuit ext. de ſponſalibus.
x d. c. ex litteris Silu.
y arg. tex. ſingul. in c. vides. 23. q. 6.

XIV.

Occurrunt tamen in iure caſus, quibus licitè à ſponſalibus diſcedi poteſt, etiam altero ſponſorum diſſentiente aut ignorante.

XV.

Vt eſt diſceſſus ſponſi incognita ſponſa ad exteras nationes[z]. Nam eò transferendo domiciliũ ſuum, videtur ex parte ſua renunciâſſe ſponſalibus. Vnde

z c. de illis, ex. de ſponſalib.

Vnde liberum erit remanenti sponsæ diuertere ad alia sponsalia vel nuptias[a].

XVI.

Non idem iuris est in sponso peregrinante, in quo expectando etsi à legibus ciuilibus triennium præfixum sit [b], magis tamen placet Nauarri sententia [c], existimantis, tempus expectationis sponsi, arbitrio iudicis relinquendum esse [d].

XVII.

Altera legitima causa est discedēdi à sponsalibus; si tempus elapsum sit, quod constitutum erat inter sponsos ad contrahendum Matrimonium [e].

XVIII.

Tertia si religionis professio ab altero sponsorum suscepta sit [f].

XIX.

Aut etiam sacer ordo [g].

XX.

Quintò dissoluuntur sponsalia per subsequens Matrimonium cùm alio, etiamsi sponsalia iurata fuerint [h].

XXI.

Cui simile est quod notat Iohan. ab Imola, vt si quis vendat rem duobus, & posteriori emptori tradat, rem fieri accipientis, nec posse ab eo auferri prætextu venditionis primæ iuratæ [i].

XXII.

Idque confert ad decisionem huius quæstionis; an testator testamentum suum iuramento obfirmatum mutare possit [k].

a per tex. in c. 2. ex de sponſ. Dom. Soto in 4. ſent. diſt. 27. q. 2. art. 5. §. 10.

b l. 2. C. de repudi.

c in c. 22. nu. 26. circa fin. sui manual.

d facit eleg. glo. ad c. finem litibus ex. de dol. & contu.

e c. ſicut ex. de ſponsal.

f c. ex publico c. ex parte ex. de conuer. côiug.

g c. vn. de voto & vo. rede. in 6. c. 1. & 2. ex. qui clerici vel vouentes.

h c. ſicut c. ſi inter. c. de illis. ex. de ſponsal.

i in c. cum contingat. ex. de iurei. facit. tex. in l. quoties C. de rei. vendi.

k de quo vide apud. Panor. ad d. c. ſicut. & Bartol. ad l. ſi quis in in princ. ff. de legat. 3.

XXIII.

Sexta legitima ratio eſt diſtrahendi ſponſalia, ſuperueniēs fornicatio alterius ſponſorum; quamuis ſponſalia iurata ſint[l]. Item ſuperueniens lepra, paralyſis, amiſſio oculorum, naſi, aut alterius notabilis deformitatis. Nam & hoc caſu ſponſalia etiam ſacramenti religione ſtabilita retractari poſſunt[m].

XXIV.

Quibus adde ſuperuenientem affinitatem inter ſponſos[n]. item defectū implementi eius quod ab altero ſponſorum promiſſum eſt[o]. item vbi ab impubere ſponſalia contracta ſunt; adueniente enim pubertate pubes impunè diſſentire & recedere poteſt à ſe contractis ſponſalibus[p].

XXV.

His poſtremò ſubnecte famam publicam alicuius impedimenti legitimi inter ſponſos: vt puta conſanguinitatis, vel affinitatis[q]. Imo ad dictum vnius, aſſerentis aliquod impedimentum legitimum ſubeſſe, Matrimonium inter ſponſos contrahendum inhiberi poteſt[r].

XXVI.

Vtrum autem propter ſuperuenientem paupertatem ſponſalia diſſolui poſſint, ſatis controuerſum eſt. In quo aduerſus Panorm.[s] vnà cum Couar.[t] negatiuam partem tuebimur.

XXVII.

Sicut eadem opera etiam explodendam putamus Panorm. & aliorum ſententiam[u], exiſtimantium mulierem ſimpliciter cōtrahendo ſpōnſalia aut

l c. quemadmodum ext. de iureiur.

m d. c. quemadmodum.

n c. veniens. ext. qui cog. con. vxo. vide & Concil. Trid. d. ſeſſ. 24. c. 4. de reform. Matrim.

o c. de illis ext. de cond. appo.

p c. de illis. 1. cū c. ſeq. ext. de deſponſ. impub. c. vnic. §. 1. d. tit. in 6.

q c. cum in tua ext. de ſponſalib. c. 2. ext. de conſ. & affin.

r vide textum in c. ſuper eo. 2. §. 1. de teſt. c. præterea de muliere, de ſponſa. ex. De reliquis modis diſſoluendi ſponſalia, vide D. Thomam in 4. ſent. diſt. 27. Silueſt. in v. ſpon. col. final. & quæ tradidimus iam in ſumma noſtra iuris Canonici. Tit de ſpōſalib. §. vbi cum ſequentib.

s ad d. c. quemadmodum.

t in 4. ext. par. 1. c. 5. nu. 4.

u ad d. c. quemadmodum. §. illud autem. ext. de iureiurando.

aut Matrimonium, censeri patrimonium suum in dotem constituisse[x].

XXVIII.

Obseruandum tamen in dissoluendis ex legitima causa spõsalibus, tunc demùm iudicis authoritate opus esse, vbi ea dubia sunt, & non satis vulgò explorata.

XXIX.

Et licet hactenus contractis sponsalibus hunc effectum tribuerimus, quod nisi existente legitima causa ab iis recedi non possit; aliud tamen præterea illis à SS. Canonibus attributum est, quod inducant publicæ honestatis iustitiam[y].

XXX.

Est autem publicæ honestatis iustitia, affinitas siue propinquitas quædam, inter consanguineos sponsi & sponsæ ex sponsalibus orta. siquidem, vt rectè ait Lancellottus[z], inhonestum & turpissimi visum est exempli, vt ei quis nubere valeat, cuius cõiunctam, sponsalia frangendo, deceperit. ne in eandem, eius nubendo coniunctæ, quasi iniuriam cumulet.

XXXI.

Atq; hæc publicæ honestatis iustitia tanti roboris est, vt non solum Matrimonium contrahendum impediat, verùm etiam contractum postea dissoluat[a].

XXXII.

Vsque adeò, etiamsi illa consanguinitatis, affinitatis, frigiditatis, religionis, aut alia quauis ratione nulla sint. dummodo non sint nulla ex defectu consensus[b].

x vide & And. Gail. lib. 2. obs. 82.

y c. iuuenis de sponsal. c. litteras cum 2. cap. seqq. de desponsat. imp. ext.

z in instit. canon. sub tit. quæ Matrim. imp. pos. § publica.

a d. c. iuuenis. d. c. litteras cum seq.

b c. ad audientiam ex. de sponsal. c. vnic. eo. tit. in 6.

XXXIII.

Neque incerta sint, aut conditione suspensa [c].

XXXIV.

In quo tamen accersenda est moderatio Concilij Tridentini [d], quo sublatum est iustitiæ publicæ honestatis impedimentum, ortum ex sponsalibus inualidis. vbi verò valida sunt, sancitum est non excedere primum gradum.

XXXV.

Vltimò addendum; quod quamuis in sponsalibus contrahendis septennij ætas requiratur [e]; non tamen ea præcisa est, vt malitia vel prudentia contrahentium suppleri non possit [f], etiamsi fortè Panor. aliter sentiat [g].

c d. c. cum. in princ. fac. c. ex litteris. 2. ext. eod. tit.

d d. sess. 24. c. 3. in decret. de reform. Matrim. de quo & in extrau. Pij 5. super impedimento publicæ honestatis.

e c. litteras. c. accessit. c. duo pueri. c. attestationes, ex. de despons. imp.

f c. iuuenis ex. d. tit. & ibi. gl. & Innoc. cum alijs quos citat Couar. in 4. ext. par. 1. c. 2.

g quem vide ad d. c. iuuenis.

DE MATRIMONIO.

CAPVT III.

THESES I.



Matrimonium rectè existimat gloss [a]: potius à matre quàm patre dici. quemadmodum è contrà patrimonium à patre.

II.

Est autem Matrimonium maris & fœminæ coniunctio, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens [b].

III.

Coniunctionem accipimus animorum non corporum, nam hanc tacitè interuenire sufficit [c].

Vnde

a ad d. c. 1. 27. q. 1. & est tex. in c. 2. ex. de conuer. infid.

b c. illud. ext. de præsump. Instit. de pat. potest. in princ.

c l. nuptias. ff. de reg. iu. c. sufficit cum seq. 27. q. 2.

IIII.

Vnde consequens est; Matrimonio solo consensu contracto, etiam ante carnalem copulam committi adulterium[d], interdici donationem inter coniuges[e], legatum sub hac conditione, si Titia nupserit, relictum; confestim deberi[f].

V.

Et statutum disponēs de lucro dotis post mortem vxoris, etiam locum obtinere vxore nondum cognita[g].

VI.

Quò spectat Alexandri & Innoc[h]. SS. Pontif. decisio, quâ decernitur Matrimonium sola voluntate cōtractum, ita firmum esse, vt per secundū carnis commistione consummatum, distrahi non possit, etiam loci consuetudine accedente.

VII.

Hunc autem Matrimonij consensum, liberum esse decet: alioqui Matrimonium ipso iure nullum erit[i].

VIII.

Quamuis in reliquis contractibus aliter receptum sit. in quibus tamen metum passo consulitur per edictum Prætoris[k].

IX.

Atque hunc consensum matrimonialem, adeò à metu immunem esse oportet, vt iurisiurandi religione colligari aut confirmari non possit[l].

X.

Licet alij contractus alioqui inualidi iuramento confirmentur[m].

d c. discretionem ext. de eo qui cogn. cons. uxor.

e l. penult. ff. de donat. inter vi. & vxo.

f l. cùm fuerit. ff. de condit. & demonst.

g De quo apud Andr. Gail lib. 2 obser 80. & Mozzium in tractatu de Matrim §. de natu: Matrim. nr 4.

h in c. licet. & c. fin. ext. de spons. duo.

i c. cum locum. de spōsal. c. significauit, de eo qui duxit in Matrimonium. ext.

k toto tit ff. & C. & ex. de his quæ vi. met. ca.

l tex. eleg. in d. c. significauit, & ibi glo. Panor. & Præpos. glo. ad d. c. ex. de his quæ vi. me. ca. c. veniens 2. ext. de spons.

m c. cum contingat. ext. de iureiurando. c. 2. de pactis, lib. 6.

XI.

Neq; distinguendum in Matrimonio, an quis suâ culpa an verò aliena in metum inciderit: vt puta, si quis in stupro deprehensus cum filia, cogatur à parentibus cum illa in Matrimonium descendere[n].

XII.

Aut si homicida, ne prodatur, ab alio, cogatur cum sua filia Matrimonium contrahere.

XIII.

Cuius longè diuersa ratio est in eo, qui iustè captus & iam morte plectendus iudici suggerit: se ducturum filiam eius, si immunitatem polliceatur: aut ex consuetudine patriæ cum oblata puella contrahit, ad euadendam mortem. his enim casibus, licet Matrimonium mortis occasione contrahatur, nullus tamen mortis timor infertur, sed potius aufertur.

XIV.

Idem censendum de eo qui in mortis articulo constitutus Matrimonium cum sua concubina contrahit[o]. Nam moriens non tam aliunde illato metu commouetur, quam sibiipsi timoris causa est, in gratiam concubinæ, vel liberorum suorum naturalium.

XV.

Quare interpretamur metum iustum esse debere, ad infringendam Matrimonij libertatem[p].

XVI.

Cuiusmodi est, si quis timore mortis, aut cruciatu corporis exterreatur[q], aut in carcerem detrudatur[r], aut liber seruitutem timeat[s], aut stuprum vereatur[t], vel amissionē bonorum omnium suorum, siue maioris partis[u]. His

n d. c. veniens. 2. iun-ſto c. cum locum, ext. de sponsali.

o c. tanta. & ibi. DD. ex. qui filij sint legit.

p c. veniens. 2. & c. consultationi. c. de mulier, & ibi glo. ext. de sponsalib. l. metum. 1. ff. de his quæ vi met.

q c. cum dilectus ext. de his quæ vi. met. ca. l. 3 in fin ff. d. tit. l. interpositas. C. de trāsact.

r l. qui in carcerem. ff. d. tit.

s l. ego puto. & l. isti quidem ff. d. tit.

t d. l. isti quidem §. quod si dederit.

u c. Abbas ext. de his quæ vi. met. ca. c. cum venissent. ext. de instit. c. 1. de restit spol. in 6. & l. propter litem ff. de transactio.

XVII.

His coniunge vinculorum metum [x], aut periculum honoris [y].

XVIII.

His enim casibus iustè terretur sapiens in se vel etiam in liberis suis aut parentibus. Non enim minus parentum & liberorum caussa, quàm nostra permouemur. [z]

XIX.

Ita vt rectè existimauerit Innocent. [a]; si filia in Matrimonium ideo consentiat, quod patrem videat iusto metu percelli, nisi contrahat Matrimonium, non valere [b].

XX.

In quibus tamen omnibus officium iudicis versabitur, qui ex rei qualitate & circumstantiis iustum metum æstimabit [c].

XXI.

Imò rectus quoq; iudex animaduertet in metum passo, & sexus conditionem, & ætatem & robur, ac infirmitatem animi, aliaque accidentia: ita quòd eundem in vno iustum, in altero vanum iudicare poterit [d].

XXII.

Vnde quod alibi expressum est [e]: eum in fœmina iustum metum æstimari, qui potest cadere in constantem virum: non eum sensum habet, quasi debeat esse eiusdem gradus cum eo, qui in constantem virum cadit, sed pro subiecta materia, secundũ vniuscuiusq; animi robur. vt exponit Dom. Soto [f].

XXIII.

Iustus ergò metus requiritur ad infirmandũ Matrimonium, Nam vani timoris nulla excusatio est [g].

x l. penult. §. si iustè. ff. d. tit.

y l. in eadem. § 1 l. nec non. §. item si quis nec in custodia. ff. ex quib. ca. maio.

z d. §. quod si dederit.

a ad d. c. cum locum ext. de spon.

b per tex. quem ita intelligit in c. si verũ. & in c. de neptis 31. q. 2.

c l. 3. ff. ex quibus caussis ma. glo ad l. interpositum. C. de trãsact. glo ad c. cum dilectus. ext. de his quæ vi metus.

d Nauar. in c. 22. n. 51. sui Manualis. & facit tex. in l. vnius. ff. de quæstionibus.

e in c. consultationi ex. de spon.

f in lib. 7. q. 2. ar. 1. de iust. & iu. De quo videndus & Prapos. ad d. c. cum locum num. 3.

g l. vani timoris. ff. de reg. iu. l. metum. C. de eo quod me. ca. l. metũ 2. ff eo. tit.

XXIV.

De metu reuerentiali parentum, an iustus metus sit, non malè hîc quæri potest. Et verius est eum vano timori asscribendum esse [h].

XXV.

Nisi pater præsente filio, & non contradicente Matrimonium contrahat. Nam etsi hac specie contractus valeat ob præsumptum consensum ipsius filij [i]; tamen infirmum æstimabitur, si constet eundem filium propter reuerentiam potiùs tacuisse [k]. Atque huius sententiæ authores videntur Bart. [l] & Decius [m].

XXVI.

Hunc autem iustum metum duobus modis purgari posse SS. Canonibus consignatum est: videlicet per contrahentium spontaneam cohabitationem [n], & per carnalem copulam subsequentem [o].

XXVII.

Nisi fortè eadem commixtio violenta sit; vt accidere potest in muliere [p], in viro neutiquàm, qui opprimi non potest:

XXVIII.

Etiamsi vir metu imminentis mortis in copulam adigatur. Nam sicut peccato nullum grauius malum est, ita nullo instanti periculo quis ad id compelli debet [q].

XXIX.

Hinc præclara illa Vlpiani sententia, de prostituta [r]: non est parcendum ei, qui obtentu paupertatis, vitam turpissimam egit.

Et

h l. si Patre. ff. de rit. nupt. gloss. ad c. præsens Clericus. 20. q 3. Panorm. ad c. veniens. 1. ex. de sponsal. Præpos. ad d. c. cum locum num. 6.

i l. sed & ea. ff. de sponsalib. c. vnic. §. porrò. de desponsat. impub. in 6. Panorm. ad d. c cum virum. ex. de regulari.

k per tex. in l. penult. ff. de furt in l. 1. §. quæ oneranda. ff. quarum rerum actio nõ datur.

l ad l. quoties ff. sol. Matrim.

m ad c. causam Matrimonij. ex. de off. deleg. nu. 6.

n c. ad id. ex. desponsal.

o c. significauit, de eo qui duxit in vxorem. ext.

p c. 1. cum aliis seq. 32. q. 5.

q c. sacris, de his quæ vi. met. ca c. super eo. de vsuris, ext.

r in l. palam. §. non solum. ff. de rit. nupt.

XXX.

Et hæc quidem de iusto metu, eò spectant, vt Matrimonium contractum prorsus eneruent atq; debilitent. In contrahēdo verò Matrimonio, sufficit vel vano aliquo timore concuti, vt pœna apposita excludatur.[s]

[s] c. gemma. ext. de sponsal. l. Titia. ff. de verb. oblig.

XXXI.

Exemplo res elucescet: Inter Sempronium & Titiam sponsalia contracta sunt, adiecta pœna, si quis eorum nuptiis impedimento esset. hæc pœna reiicitur, quod inhonestum sit, vinculo pœnæ Matrimonia obstringi[t].

[t] d. c. gemma. & d. l. Titia.

XXXII.

Nec refert inter ipsos contrahentes, an verò inter consanguineos pœna adiecta sit, modò timor pœnæ ipsos contrahentes contingat[u].

[u] Ex mente Abbatis. & Bar. & communis teste Conar. in 2. part. c. 3. §. 7. nu. 4. in 4. ex. & probatur in d. l. Titia & c. gemma.

XXXIII.

Quod in sponsis vsq; adeò obtinet, vt id etiam ad pœnam lucri producendam sit.

XXXIV.

Vt si à parentibus vel ab alio legatum quid sit sponso; nisi Matrimonium cum sponsa sua contraxerit: Nam hæc pœna lucri amittendi, tanquam turpis, à legato reiicitur[x].

[x] l. vn. C. de his quæ pœnæ metu. §. fin. inst: de legat.

XXXV.

Aliud obtinet in extraneo: si enim extra spōsos alicui legetur, aut etiam hæres instituatur: si Titiam in vxorem non duxerit, vel ita, si neque Ti-

tiam, neque Seiam, neque Meuiam, aut aliam quampiam duxerit: legatum siue institutio ipso iure constat: modò tamen cum alia qualibet satis commodè Matrimonium contrahere possit[y].

y l. cum ita legatum. ff. de cond. et demonst.

XXXVI.

Quia aliud est obstringi libertatem Matrimonij, aliud certa lege ad alterum Matrimonium inuitari[z].

z l. Titio centum. §. 1. ff. d. tit.

XXXVII.

Qua ratione defendi potest statutum ciuitatis, quo certa dos confertur mulieri nubenti in ciuitate, extra eam verò nulla confertur.

XXXVIII.

Et hæc vera: si agatur, vt dixi, de pœna lucri amittendi. vbi verò versatur ratio incurrēdi damni: vt puta, si ego alteri pecuniam promittam, si Meuiam vxorem non duxero; talis adiecta pœna iure optimo improbatur[a].

a d. l. Titio. §. 1.

XXXIX.

Quod facit contra Baldum, præsupponentem valere statutum Mediolanense, quo mulier nupta extra territorium Mediolanense, non succedat in bonis patris in territorio Mediolanensi[b].

b Meminit Felin. ad c. 1. num. 10. ext. de sponsal.

XL.

Quid verò de arris sponsalitiis censendum sit, magna authorum altercatio est. nos exiguam saltem arrharum dationem, cùm eius pœna à iure statuta, defendi posse arbitramur[c].

c Per l. final. circa finem. C. de sponsalib.

XLI.

Itaq; constitutissimum est, consensum liberum

rum requiri in conciliandis nuptiis: neque interesse, verbis an aliis argumentis consensus exprimatur.

XLII.

Non enim Innocentio[d] astipulamur, qui arbitratus est præcisè verba requiri in loqui valentibus; idque Ecclesiam, inquit, iustè statuisse, ne tantum Sacramentum in incerto versaretur. Et nè in absurditatem illam incideremus, quæ suboriri posset, si fortè vir & mulier tacitè in Matrimonium mutuum intra se & separatim consentientes, dicerentur legitimè contraxisse: quo nihil esset periculosius.

[d] in c. tua fraternitati, per tex. ext. de sponsal.

XLIII.

Nam ab eius sententia summa ratione discedunt glos. Anto. de Butr. & Abb. Panorm.[e], & non immeritò, cùm multis casibus accidat, vt ipso facto absque vlla verborum prolatione Matrimonium contrahatur.

[e] ad d. c. tua fraternitati.

XLIV.

Vt fit: si præcedentia sponsalia copula subsequatur[f], aut si Matrimonium per vim contractum & ideo ipso iure nullum, sequatur vel libera cohabitatio, vel spontanea commixtio[g], aut si parentes loco filiorum præsentium & non contradicentium, nuptiarum fœdus ineant[h]: his enim casibus sine vllis verbis, ipso facto Matrimonium contrahitur.

[f] c. is qui. ex. d. tit. & c. 3. ext. de condit. ap.

[g] tex. in c. ad id. l. ex. d. tit. c. significauit. c. veniens ex. de eo qui duxit in vxorem.

[h] c. vn. §. porrò, de despons. imp. in 6.

XLV.

Neque impedit ratio Innocentij: ipsius enim docere est, ita statutum esse ab Ecclesia, erubescendum autem sine lege loqui[i].

XLVI.

Quod ad absurditatem verò prædictam attinet, asserimus solum internum consensum ad ineundum Matrimonium non sufficere, nisi verbis aut alio inditio exprimatur. Id enim & necessariò requiritur in reliquis omnibus contractibus[k], & præcipuè in Sacramento Matrimonij, de cuius essentia est, vt sit signum visibile inuisibilis gratiæ[l].

i §. consideremus in nouel. de tri. & semis.
k Iux. tex. in l. 1. circa princ. ff. de pact. et eleganter Butr. et Panorm ad d. c. tuæ. Idē sentiunt & oēs Theologi in 4. sentent. dist. 27. q. 1. ar. 3. vt ibid. attestatur Dom. à Soto.
l c. Sacrificium, de cōsecr. dist. 2. de quo & apud D. August lib. 3. de doctr. Christ. & doctiss. Bellarm. de Sacrament.



DISPV-

DISPVTATIO DE MATRIMONIO POSTERIOR.

CONTINVATIO AD PRIOREM DISPVTATIONEM DE MATRIMONIIS.

CVM instituta Matrimonialis disputatio ob materiæ amplitudinem & dignitatem in duas distributa classes, priorq́; non ita pridem variis argumentis excussa & illustrata in publicum emissa sit: restat, vt & posterior in suas theses distincta, publicis Academicorum concertationibus discutienda & cohonestanda proponatur.

DE MATERIA ET FORMA MATRIMONII.

CAPVT I.

THESIS I.

QVOD itaq; in cæteris Sacramentis accidit, vt ex certa materia & forma constituantur[a]; idem euenire cernimus in Sacramento Matrimonij, vt ad eius cõfectionem & absolutionẽ materia simul & forma requirantur[b].

a *Vide* D. Tho 3. *par. q.* 60. *ar.* 6. *ad* 2. & *Theolog. apud Bellar. de Sacrament. in genere lib.* 1. *cap.* 18.

b *c. tua nos. ext. de spõsalib. Bellarminus lib.* 1. *de Sacra. Matr. ca.* 6.

VI.

In quo licet inter omnes non satis conueniat, quæ materia, quæ forma sit Matrimonij[c]; in eo tamen rectius concurritur[d]; vt consensus contrahentium materia sit, forma verò eiusdem expressio.

III.

Quæ an verbis, signis, aut alio argumento explicetur, nihil planè interest[e].

IV.

Duo verò ad consensum exprimendum, omninò necessaria sunt, judicium scilicet animi, & ætas legitima contrahentium[f].

V.

Quorum priori à matrimonio ineundo arcentur furiosi, amẽtes & ebrij: si modò tanta ebrietas hominem perstringat, vt sensum mentis illi eripiat[g].

VI.

Quamuis ob furorem, amentiam & ebrietatem postmodum incidentem, matrimonium semel contractum nunquam dirimatur[h].

VII.

Quare cùm iudicium animi ad constitutionem matrimonij necessariò requiratur, non sine causa controuertitur; si vir aut mulier ea simplicitate siue rusticitate præpediatur, vt non intelligat vim & significationem matrimonij, quæ in indiuidua vitæ consuetudine consistit, sed arbitretur; se tantùm ad tempus in concubitum inuitari, aut liberè à contractu resilire posse: an nihilominus verum & legitimum matrimonium inter ipsos constituatur? Quod nos pernegamus[i]. Etiamsi

c Vt videre est apud Palud in 4. dist. 19 4. & alios. in 4 dist 26.
d Nauar. in Enchir. de Sacra. Matri cap. 22. nu. 20. & probat. d. c. tua nos.
e c. cum apud. 23. c. tuæ. ex. de sponsal. c. 1. §. porro de despons. impub. lib. 6. l. in spõsalib. ff. de sponsal.
f c. ex literis. 1. ex. de sponsalib.
g c. dilectus. & ibi Henr. Boic. ex. de spõsal Couar. lib. 4. decretal. 2 par. c. 2.
h c. si qui matrimonium. cum c. seq. 32. q. 7. l. patre furioso ff. de his qui sunt sui. §. furiosi. Instit quib. non est perm ff. fac. test.
i per tex. in c. solet. 32. q. 2.

iamsi fortè Innocent. Panor. & Præpos. aliter opinentur[k].

VIII.

Matrimonium enim circa tria bona (vt appellant) versatur: fidem, prolem & Sacramentum, quæ in eius conciliatione, saltem quoad contrahentium propositum, abesse non possunt[l].

IX.

Licet in exteriore iudicio, si de ea rusticitate non constet, pro Matrimonio simpliciter contracto aliter existimandum sit, hoc est, vt simpliciter Matrimonium contrahentes præsumantur perpetuum & indissolubile fœdus percussisse, etiamsi fortasse contrahentium voluntas & mens ab hac præsumptione discrepet.

X.

Eoq; accidere potest, vt quandoq; Iudex iusto errore circumuentus pronunciet de matrimonio quasi legitimè contracto, licet re vera nullum subsit, & è contrà perperam disiungat matrimonium re ipsa & verè copulatum; vti vsu quoq; venit in clandestinis nuptiis[m].

XI.

Siquidem Ecclesia, vti apud SS. Canones extat, de occultis non iudicat[n], sed legitima probatione nititur[o].

XII.

Sed quid si de verbis contracti matrimonij contentio incidat, ita, vt alter contrahentium verborum sensum aliò detorqueat? Iudex consultò fecerit, si communẽ verborum sensum consectetur[p].

XIII.

Adhibito tamen Præpositi temperamento[q], vt

k Moti authoritate text. in d. c. ex literis.

l c. omne itaq. 27. q. 2. & c. si ex. de cond. appos. & d. c. solet.

m c. 2. ext. de cland. despons. iuncto c. 1. 30. q. 5.

n c. erubescant. in fi. dist. 32. c. beatus 22. q. 2. & c. vnico §. porro. ex. vt Eccles. ben. sine dim. confer.

o c. penult. et vlt. 30. q. 5.

p d. c. ex literis, facit tex. in l. semper in stipulationibus. ff. de reg. iuris.

q ad d. c. ex literis.

vt non minùs habeatur ratio proferentis: quia si à persona agresti & rudi verba enuncientur, rudi quoq; modo ac sensu accipi debent [r]: solet enim vulgò dici: Qualis vir, talis oratio.

r per l. mancipia & ibi Bald. C. de seru. fugit. l. si seruum plurium. in fi. ff. de leg. 1. & d. l. semper,

XIV.

Cæterùm in hac facti specie: si Italus & Germana in Matrimonium conueniant vterque proprio idiomate verba proferens contrahendo Matrimonio apta, an ex eo, quòd vnus alterius verborum sententiam non perceperit, Matrimonium nihilominus inter ipsos coactum definiri possit? Quod existimat, & quidem rectè Dida. Couar. [s]: si modò gestus ex communi vsu coniugales vel antecesserint, vel subsequuti fuerint.

s præ alleg. lo. 2. par. c. 4. §. 1. & fac. tex. in c. cum apud. & c. tuæ fraternitati, ext. de sponsal.

XV.

Hæsitatum quoq; memini [t]: vtrum hæc verba; volo te habere in vxorem, vel: volo tecum contrahere Matrimonium, aut similia, præsentem, an futurum coniugij consensum denotent? Nos prioris generis verba ad præsentem consensum, posterioris verò ad futurum Matrimonij sponsionem referenda ducimus [u].

t de quo apud Iacob Menoch. de arb. indicum lib. 2. cent. 5. casu 496.

u per tex. in c. ex parte. ex. de sponsal. probatur& arg. l. apud Aufidiũ. ff. de optio. legata. l. iam dubitari. vbi gloss ff. de hered. instit. l. & commodo. ff. de leg. 1.

XVI.

Tametsi his verbis: non habebo aliam in vxorem, nisi te, ne quidem sponsalia intelligi bellissimè defendat Couarruuias [x].

x sup. alleg. loco,



DISPV-

DE CLANDESTINO MATRIMONIO.

CAPVT II.

THESIS I.

VM consensus priuatus, id est, semotis testibus interpositus, non minùs consensus sit, quàm publica contestatione initus[a]: dubium non est, quin & Matrimonij fœdus, quod solo consensu constat[b], clanculũ contrahi possit[c].

II.

Sacri tamen Canones clandestinum Matrimonium iustissimo semper odio prosecuti sunt, adeò, vt in obscuro coniunctionem maris & fœminæ potiùs præsumant, & interpretentur contubernium, fornicationem, aut stuprum, quàm verum ac legitimum Matrimonium[d]: licet ius ciuile huic præsumptioni reluctetur[e].

III.

Quâ ratione accidit, vt clàm contrahentes nuptias, ad subeundum & exequendum Matrimonij officia adigi non possint, sed potiùs Ecclesiæ authoritate, vt mutuam habitationem & commercium deserant, pænali edicto constringendi sint[f].

IV.

Non quidem, quòd Ecclesia hac ratione Matrimonium verè, licet occultè contractum, re ipsa dissoluat[g], (illud enim semel initum indissolubile est) sed quod de veritate contractus, qui in facto consistit[h], & idcirco etiam prudentissimos fallat[i], aliter

a l. ab Anastasio. & ibi quoque Bald. C. mandati. l. non minorem. C. de transactio.

b c. sufficiat. 27. q. 2. c. cùm locum c. tuæ. ex. de sponsal. l. nuptias. ff. de reg. iur.

c c. 2. ex. de cland. desponsf. Card. Paleot. lib. sing. de noth. & spur. cap. 5.

d c. aliter. 30. q. 5.

e in l. in libera. ff. de rit. nupt.

f d. c. 2. ex. de cland. desponsf.

g c. si inter. ex. de sponsal. c. penult. & vlt. ext. de translat. Epis. Instit. de pat. pot. in princ.

h vt notatur ex c. cũ in iure ex. de offic. deleg.

i l. 2 ff. de iur. & fact. ignor.

aliter decernere non poſſit, quàm ſecùndum eius legitimam probationem[k].

V.

Vnde in duobus matrimoniis ab eodem contractis, quorum ſcilicet vnum clàm, alterum palàm initum eſt, rectè Iudex pro poſteriori ſententiam pronunciat, licèt prius antea verè contractum, poſteriùs contrahendum impedierit[l].

VI.

Vſq; adeò, vt etiam ad poſterioris matrimonij obſeruationem iuſtè reluctantem conſtringere poſſit: licet hac ratione Iudex iuſtiſſimo errore deceptus adulterij occaſionem præbeat[m].

VII.

Quid igitur, impunè fecerit Iudicis imperio adactus ſi ſecundas nuptias ſequatur? Minimè verò. Nam adulterij ſe obſtringit ſcelere. Conſultò igitur negliget? vtique. Nam potiùs Eccleſiaſtica cenſura ſuſtinenda eſt, quàm vt peccato ſubſcribatur[n].

VIII.

Qui enim hoc caſu Eccleſiæ præcepto ſiue cenſuræ non paret, tantùm abeſt, vt apud DEVM aliquo crimine inſimuletur, quin veriſſimum eſt, eum præmio affici, ſi patienter Eccleſiæ ſententiam perferat[o].

IX.

Siquidem apud DEVM non niſi veritati locus eſt, ceſſante omni præſumptione[p], quam Eccleſia ſæpenumerò neceſſario ſequitur, propter latentem veritatem contrariam, de qua in obſcuro affirmare non audet[q].

Quo

k c. vlt. in fi. 32. q. 5. §. hu ita. cum 2 cap ſeq. 30 q. 5. text. elegans in c. 2. ext. de off. ord. l. duo ſunt Tiiij. ff. de teſtam. tut.

l ex c. 2. ex de cland. deſponſ.

m c. nemo blandiatur. c. meretricem. 32. q. 4. Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 1. circa pr. in decr. de reform. matrim.

n c. inquiſitioni. ext. de ſent. excom.

o c. qui iuſtus. 11. q 3.

p c. tua nos. ex. de ſpōſal. Nauar. in ſuo manuali c. 22. n. 51. §. ſeptimum.

q c. erubeſcant. 32. diſt. d. c. vnico. vt Eccleſ. beneficia

X.

Quo ſenſu accipiendum eſt vulgare illud pronunciatum[r]: Excommunicatio quamuis iniuſta timenda eſt, ſcilicet patienter ſufferendo, ne ſi ſuperbè contemnatur, indignationem Dei commoueat[s].

XI.

Ex quo facilè conuincitur eorum error, qui exiſtimant excuſari eum, qui ad mandatum Eccleſiæ matrimonium ſecundò contractum corporis commiſtione expleñeò, quod hac ſpecie licitum ſit ex duobus malis ſeligere illud, quod minùs eſt[t]: quia hîc nullum malum incurritur non parendo Eccleſiæ imperio, ſed tantùm apud homines notatur propter auctoritatem Eccleſiæ, quæ ex falſa præſumptione proceſſit[u].

XII.

Verùm ex duobus malis tùm demùm eligendum eſt minùs, quando vtrumque ita vrget, vt neceſſariò alterum permittendum ſit[x], non ſi nos ipſi peccatum aliquod perpetrandum ſuſcipimus, ad quod nullo propoſito diſcrimine compelli debemus.

XIII.

Neq; enim fornicari licet conſeruandæ vitæ ſuæ cauſa[y], nec mendacium proferendum vt alterius incolumitati conſulatur[z], aut aliud quid turpe committendum.

XIV.

Vt autem clandeſtini matrimonij incommoda euitari poſſint, prudentiſſimè ab Innocent. 3. cautum eſt[a]; vt contrahenda matrimonia in Eccleſia pub-

r ex. c. 1. 11. q. 3.

s Gratianus ad d. c. qui iuſtus eſt. §. ſeq.

t per tex. in c. duo mala. 13. diſt. c. non ſolum & ibi gloſ. 22. q 4.

u In hanc rem videndi ſunt tex. ſing. in c. ſi Dominus. c. ſi quis Epiſcopus. c. non ſemper. c. Iulianus. & c. ſeq. 11. q. 3.

x vt in c. ſi quod verius 33. q. 2. c. non poteſt. 23. q. 4. c. ſi diſt. 4.

y c. 3. 32. q. 5 l palàm. §. non eſt ignoſcendum. ff. d. rit. nupt.

z c. neq; arbitretur. 22. q. 2. c. ſuper ea de vſur.

a in c. fi. ex. de cland. deſponſ.

publicè prius denuncientur, alioquin illegitimam fore prolem, quæ in gradu prohibito à parentibus ignorantibus suscepta erit[b].

b fac. tex. in l. fin. ff. de rit. nupt.

XV.

Quod recentiori iure secutum est Concilium Trid. adeò clandestinas nuptias exhorrens atque detestans, vt præterea iustè adiecerit, matrimonium frustrà contrahi, si sine præsentia Parochi vel alterius Sacerdotis de Parochi vel Ordinarij licentia & duobus vel tribus testibus celebretur[c].

c vide omninò sess. 24. c. 1. de refor. matrim.

XVI.

Quo decreto & illud effectum est, vt omnia præsumpta matrimonia abrogata censeantur, qualia sunt: quando sponsalia per carnalem copulam subsequentem in matrimonium transeunt[d], aut per concubitum siue cohabitationem spontaneam purgatur matrimonium iusto metu contractum[e]: Nam hæc à iure veteri præsumpta dicuntur, quæ ex noua Conci. Trid. constitutione ideò irrita decernuntur, quod absque Parocho vel alio Sacerdote & duobus vel tribus testibus, matrimonij naturam asciscere non possint.

d c. veniens. 2. & c. is qui fidē. ex. de sponsal.

e vt in c. ad id. d. tit. & in c. significauit ex. de eo qui dux.

XVII.

Quo similiter corruit præsumptum illud matrimonium, quod ex decennij cohabitatione maris & fœminę in obscuro colligunt iuris interpretes[f]; licet alioqui huic præsumptioni etiam textus Decretalium refragetur[g].

f Host. Abb. & alij relati à Couar. in 4. decret. c. 1. n. 5. par. 2. quem vide.

g in c. illud ext. de præsumptio.

DE

DE CONDITIONIBVS MATRIMONII.

CAPVT III.

THESIS I.



On tamen necesse est matrimonium purè semper contrahi, quin & eius consensum conditionis adiectione suspendi posse, aperto iure receptum est[a].

II.

Conditionem autem eam intelligimus, quæ futurum tempus respicit, non quæ in præteritum vel præsens tempus confertur[b].

III.

Nam cùm hæc per rerum naturam certa sit, non moratur obligationem, licet nobis incerta videatur[c].

IV.

Vnde si in coëundo matrimonio adiiciatur: contraho tecum, si pater tuus consul sit vel fuerit, matrimonium non differtur, sed pro rei veritate aut falsitate ilicò subsistit, aut omninò corruit[d].

V.

Atque hæc de conditione consensui Matrimoniali adiecta. An autem ipsi Matrimonio conditio futura appingi possit, pugna non caret. Id enim inficiantur. Couar.[e] & Dom. Soto[f]: Glossa verò[g] Panor.[h] Ant. de Butrio & Præpos.[i] contrà astruunt, quorũ sententiã & nos comprobamus[k].

VI.

Tametsi hoc casu requiratur, vt contrahentes in

a c. 2. c. super. c. per tuas. ex. de condit. appos.

b l. itaque. ff. si cert. pet. §. sub conditione. Instit. de verb. oblig.

c §. conditiones. Instit. d. tit. l. cũ ad præsens. l. seq. ff si cert. pet.

d l. institutio talis. in fi. ff. de condit. instit. l. cum in secundo testam. ff. de iniust. rupt. & irr. test.

e d. par. 2. c. 3. n. 3.

f in 4. sent. dist. 29. q. 2. art. 1.

g ad c. fi. ex. de condit. appos. ad c. solet. 32. q. 2.

h ad c. 1. ex. d. tit.

i ad c. super eo. ext. eod. tit.

k per tex. in d. c. super eo. & c. per tuas. ext. eo. & in c. non oportet. in fi. 28. q. 1.

in euentum conditionis in eadem voluntate perseuerent: Nam vtroq; aut altero dissentiente, priusquam conditio eueniat, matrimonij contractus dissoluitur[l]; licet secundùm iuris ciuilis rationem conditio expectanda sit[m].

VII.

Vbi tamen conditio adiecta certò extitura est[n], aut aliâs ipsi contractui inest[o]; matrimonij obligatio in nullum euentum suspenditur[p].

VIII.

Et hæc quidē de honestis & possibilibus conditionibus intelligenda sunt: Si enim turpes vel impossibiles matrimonij contractui adiiciantur. eæ in fauorem matrimonij præciduntur, & contractus purus efficitur[q].

IX.

Nisi fortè matrimonij substantialia concernant, quales sunt: si generationem prolis euites, vel donec inueniam aliam honore & facultatibus ditiorem, aut si quæstus nomine adulterandam te tradas: harum enim conditionum adiectione matrimonium perperàm contrahitur seu prorsus infirmatur[r].

X.

Adeò, etsi honesta ratione apponantur[s], (etiamsi in ceteris contractibus aliud receptum videatur[t].) Veluti si quis cum Titia hac lege in matrimonium concedat, vt in perpetua continentia viuat, vel monasticæ religioni se dedicet, coniugium nullius momenti contrahitur[u]; quamuis eo contracto hæc licitè in pactum deducantur[x].

l c. v. & fi. de sponsal. in 6. c. si proxe. de rescrip. in 6 Nauar. cap. 22. n. 63 cum seq. & D. Tho. in 4 sent dist. 29. q. 3. & d. Soto præ alleg. loco.

m l. potior. circa pr et l. qui balneum. ff qui pot in pig hab.

n l. hæres meus. ff. de condit & demonst. l. quod si sub eu. ff. de condict. indeb

o l. conditiones. 98. et l. aliquando. 106. ff de cond & demonst.

p per alleg iura, de quibus latius apud Henr. Boic. ad c. fi. ex. de cond appos.

q c. fi. ex. de condit. appos. su. §. impossibiles. Instit. de hæred instit. l. i. & l. conditiones. ff. de condit. Instit.

r d. c. fi. Petrus Gerardus de Petra sancta sing. 21.

s arg. c. detrahe 1 q. 1. Couar. in 4. decret. 2. par. c 3. §. 1. n. 3. per tex. in d. c. fin.

t Vide Boic. ad d. c. fi n. 3. per l. cum precario. ff de precario c.

u ex omne itaque. 27. q. 2. c. solet. & c. aliquando. 32. q. 2.

x c. quod Deo patri. 33. q. 5. c. 1. cum seq. ex. de conuers. coniug.

XI.

Quò ſpectat illa diſputatio; an inter Deiparam virginem & Ioſephum vernm matrimonium conſtiterit? Mouet dubitationem, quod ipſa ex quorundam Theologorum[y] ſententia, votum virginitatis emiſerit. Vouentibus autem non ſolùm nubere, ſed etiam velle damnabile eſt, ex auctoritate Hieronymi[z]. Nobis verò probabilius videtur D. virginem ante contractas nuptias nullo voti vinculo ſe obſtrinxiſſe, ſed tantùm animi propoſito illud concepiſſe, idque adiecta lege, niſi Deus aliter ei reuelaret, vt author eſt Auguſt.[a], vnde ſine controuerſia rectè contrahere potuit[b].

XII.

His affinis incidit quæſtio: an ſicut pactum contra ſubſtantialia matrimonij initum, illud omninò infirmat; ita eadem ratione infringatur religionis profeſſio ex adiectione conditionum, quæ ipſi religioni aduerſantur: quales ſunt: ſi proprium poſſidere poſſim, ſi vti matrimonio, aut ſuperiori non parêre liceat. In quo etſi apud Panor.[c]: & Did. Couar.[d], ingens auctorum diſſenſio ſit; magis tamen placet, vt idem vtrobique ius ſtatuatur[e].

XIII.

Quod tamen in ſacri ordinis ſuſceptione diuerſum cenſemus[f].



[y] D Thom & aliorũ teſte Dom. Sot. in 4. ſent. diſt. 30. q. 1. ar. 2. quos & ſequitur. Couar alleg. lo.

[z] in c. 2. 17. q. 4.

[a] citatus à Gratiano in c. B. Maria 27. q. 2.

[b] d. c. B. Maria. c. coniunx. cum c. ſeq. ead. q.

[c] ad c. fi. ex. de condit. appoſ. iuncta ibidem marginali notatione.

[d] d. c. 3 n. 18.

[e] per tex. in c. cum ad monaſterium. ex. de ſtat. Monach. & ea quæ adducit. Dõ Sot. lib. 7. q. 5. art. 2. 3 & 4. de iuſt. & iur.

[f] c. Diaconi. 28. diſt. quod exiſtimat Panor. ad c. cum M n. 15 ext. de conſtit. & ad c. fi.

XXIV.

De metu reuerentiali parentum, an iustus metus sit, non malè hîc quæri potest. Et verius est cum vano timori asscribendum esse [h].

h l. si Patre. ff. de rit. nupt. gloß. ad c. præsens Clericus. 20. q 3. Panorm. ad c. veniēs. 1. ex. de sponsal. Præpos. ad d. c. cum locum num. 6.

XXV.

Nisi pater præsente filio, & non contradicente Matrimonium contrahat. Nam etsi hac specie contractus valeat ob præsumptum consensum ipsius filij [i]; tamen infirmum æstimabitur, si constet eundem filium propter reuerentiam potiùs tacuisse [k]. Atque huius sententiæ authores videntur Bart. [l] & Decius [m].

i l. sed & ea. ff. de sponsalib. c. vnic. §. porrò. de desponsat. impub. in 6. Panorm. ad d. c. cum virum. ex. de regulari.

k per tex. in l. penult. ff. de furt in l. 1. §. quæ oneranda. ff. quarum rerum actio nō datur.

l ad l. quoties ff. sol. Matrim.

m ad c. causam Matrimonij. ex. de off. de leg. nu. 6.

XXVI.

Hunc autem iustum metum duobus modis purgari posse SS. Canonibus consignatum est: videlicet per contrahentium spontaneam cohabitationem [n], & per carnalem copulam subsequentem [o].

n c. ad id, ex. desponsal.

o c. significauit, de eo qui duxit in vxorem. ext.

XXVII.

Nisi fortè eadem commixtio violenta sit; vt accidere potest in muliere [p], in viro neutiquàm, qui opprimi non potest:

p c. 1. cum aliis seq. 32. q. 5.

XXVIII.

Etiamsi vir metu imminentis mortis in copulam adigatur. Nam sicut peccato nullum grauius malum est, ita nullo instanti periculo quis ad id compelli debet [q].

q c. sacris, de his quæ vi. met. ca c. super eo. de vsuris, ext.

XXIX.

Hinc præclara illa Vlpiani sententia, de prostituta [r]: non est parcendum ei, qui obtentu paupertatis, vitam turpissimam egit.

r in l. palam. §. non solum ff. de rit. nupt.

Et

XXX.

Et hæc quidem de iusto metu, eò spectant, vt Matrimonium contractum prorsus eneruent atq; debilitent. In contrahēdo verò Matrimonio, sufficit vel vano aliquo timore concuti, vt pœna apposita excludatur.[s] s c. gemma. ext. de sponsal. l. Titia. ff. de verb. oblig.

XXXI.

Exemplo res elucescet: Inter Sempronium & Titiam sponsalia contracta sunt, adiecta pœna, si quis eorum nuptiis impedimento esset. hæc pœna reiicitur, quod inhonestum sit, vinculo pœnæ Matrimonia obstringi[t]. t d. c. gemma. & d. l. Titia.

XXXII.

Nec refert inter ipsos contrahentes, an verò inter consanguineos pœna adiecta sit, modò timor pœnæ ipsos contrahentes contingat[u]. u Ex mente Abbatis. & Bar. & communis teste Couar. in 2. part. c. 3. §. 7. nu. 4. in 4. ex. & probatur in d. l. Titia & c. gemma.

XXXIII.

Quod in sponsis vsq; adeò obtinet, vt id etiam ad pœnam lucri producendam sit.

XXXIV.

Vt si à parentibus vel ab alio legatum quid sit sponso; nisi Matrimonium cum sponsa sua contraxerit: Nam hæc pœna lucri amittendi, tanquam turpis, à legato reiicitur[x]. x l. vn. C. de his quæ pœnæ metu. §. fin. inst: de legat.

XXXV.

Aliud obtinet in extraneo: si enim extra spōsos alicui legetur, aut etiam hæres instituatur: si Titiam in vxorem non duxerit, vel ita, si neque Ti-

tiam, neque Seiam, neque Meuiam, aut aliam quampiam duxerit: legatum siue institutio ipso iure constat: modò tamen cum alia qualibet satis commodè Matrimonium contrahere possit[y].

y l. cum ita legatum. ff. de cond. et demonst.

XXXVI.

Quia aliud est obstringi libertatem Matrimonij, aliud certa lege ad alterum Matrimonium inuitari[z].

z l. Titio centum. §. 1. ff. d. tit.

XXXVII.

Qua ratione defendi potest statutum ciuitatis, quo certa dos confertur mulieri nubenti in ciuitate, extra eam verò nulla confertur.

XXXVIII.

Et hæc vera: si agatur, vt dixi, de pœna lucri amittendi. vbi verò versatur ratio incurrēdi damni: vt puta, si ego alteri pecuniam promittam, si Meuiam vxorem non duxero; talis adiecta pœna iure optimo improbatur[a].

a d. l. Titio. §. 1.

XXXIX.

Quod facit contra Baldum, præsupponentem valere statutum Mediolanense, quo mulier nupta extra territorium Mediolanense, non succedat in bonis patris in territorio Mediolanensi[b].

b Meminit Felin. ad c. 1. num. 10. ext. de sponsal.

XL.

Quid verò de arris sponsalitiis censendum sit, magna authorum altercatio est. nos exiguam saltem arrharum dationem, cùm eius pœna à iure statuta, defendi posse arbitramur[c].

c Per l. final. circa finem. C. de sponsalib.

XLI.

Itaq; constitutissimum est, consensum liberum

rum requiri in conciliandis nuptiis: neque interesse, verbis an aliis argumentis consensus exprimatur.

XLII.

Non enim Innocentio [d] astipulamur, qui arbitratus est præcisè verba requiri in loqui valentibus: idque Ecclesiam, inquit, iustè statuisse, ne tantum Sacramentum in incerto versaretur. Et ne in absurditatem illam incideremus, quæ suboriri posset, si fortè vir & mulier tacitè in Matrimonium mutuum intra se & separatim consentientes, dicerentur legitimè contraxisse: quo nihil esset periculosius.

d in c. tua fraternitati, per tex. ext. de sponsal.

XLIII.

Nam ab eius sententia summa ratione discedunt glos. Anto. de Butr. & Abb. Panorm. [e], & non immeritò, cùm multis casibus accidat, vt ipso facto absque vlla verborum prolatione Matrimonium contrahatur.

e ad d. c. tua fraternitati.

XLIV.

Vt fit: si præcedentia sponsalia copula subsequatur [f], aut si Matrimonium per vim contractum & ideo ipso iure nullum, sequatur vel libera cohabitatio, vel spontanea commixtio [g], aut si parentes loco filiorum præsentium & non contradicentium, nuptiarum fœdus ineant [h]: his enim casibus sine vllis verbis, ipso facto Matrimonium contrahitur.

f c. is qui. ex. d. tit. & c. 3. ext. de condit. ap.

g tex. in c. ad i l. ex. d. tit c. significauit. c. veniens. ex. de eo qui duxit in vxorem.

h c. vn. §. porrò, de despons. imp. in 6.

XLV.

Neque impedit ratio Innocentij: ipsius enim docere est, ita statutum esse ab Ecclesia, erubescendum autem sine lege loqui[i].


XLVI.

Quod ad absurditatem verò prædictam attinet, asserimus solum internum consensum ad ineundum Matrimonium non sufficere, nisi verbis aut alio inditio exprimatur. Id enim & necessariò requiritur in reliquis omnibus contractibus[k], & præcipuè in Sacramento Matrimonij, de cuius essentia est, vt sit signum visibile inuisibilis gratiæ[l].

i §. consideremus in nouel. de tri. & semis.

k Iux. tex. in l. 1. circa princ. ff. de pact. et eleganter Butr. et Panorm ad d. c. tuæ. Idē sentiunt & oēs Theologi in 4. sentent. dist. 27. q. 1. ar. 3. vt ibid. attestatur Dom. à Soto.

l c. Sacrificium, de cōsecr. dist. 2. de quo & apud D. August lib. 3. de doctr. Christ. & doctiss. Bellarm. de Sacrament.



DISPV-

DISPVTATIO DE MATRIMONIO POSTERIOR.

CONTINVATIO AD PRIOREM DISPVTATIONEM DE MATRIMONIIS.

Cum instituta Matrimonialis disputatio ob materiæ amplitudinem & dignitatem in duas distributa classes, priorq; non ita pridem variis argumentis excussa & illustrata in publicum emissa sit: restat, vt & posterior in suas theses distincta, publicis Academicorum concertationibus discutienda & cohonestanda proponatur.

DE MATERIA ET FORMA MATRIMONII.

Capvt I.

THESIS I.

Qvod itaq; in cæteris Sacramentis accidit, vt ex certa materia & forma constituantur[a]; idem euenire cernimus in Sacramento Matrimonij, vt ad eius cōfectionem & absolutionē materia simul & forma requirantur[b].

a *Vide D. Tho 3. par. q. 60. ar. 6. ad 2. & Theolog. apud Bellar. de Sacrament. in genere lib. 1. cap. 18.*

b *c. tua nos. ext. de spōsalib. Bellarminus lib. 1. de Sacra. Matr. ca. 6.*

II.

In quo licet inter omnes non satis conueniat, quæ materia, quæ forma sit Matrimonij[c]; in eo tamen rectiùs concurritur[d]; vt consensus contrahentium materia sit, forma verò eiusdem expressio.

III.

Quæ an verbis, signis, aut alio argumento explicetur, nihil planè interest[e].

IV.

Duo verò ad consensum exprimendum, omninò necessaria sunt, iudicium scilicet animi, & ætas legitima contrahentium[f].

V.

Quorum priori à matrimonio ineundo arcentur furiosi, amētes & ebrij: si modò tanta ebrietas hominem perstringat, vt sensum mentis illi eripiat[g].

VI.

Quamuis ob furorem, amentiam & ebrietatem postmodum incidentem, matrimonium semel contractum nunquam dirimatur[h].

VII.

Quare cùm iudicium animi ad constitutionem matrimonij necessariò requiratur, non sine causa controuertitur; si vir aut mulier ea simplicitate siue rusticitate præpediatur, vt non intelligat vim & significationem matrimonij, quæ in indiuidua vitæ consuetudine consistit, sed arbitretur, se tantùm ad tempus in concubitum inuitari, aut liberè à contractu resilire posse; an nihilominus verum & legitimum matrimonium inter ipsos constituatur? Quod nos pernegamus[i]. Et-

iamsi

c Vt videre est apud Palud in 4. dist. 19 4. & alios in 4 dist 26.
d Nauar. in Enchir. de Sacra. Matri cap. 22. nu. 20. & probat. d. c. tua nos.
e c. cum apud. 23. c. tuæ. ex. de sponsal. c. 1. §. porro de despons. impub. lib. 6. l. in spōsalib. ff. de sponsal.
f c. ex literis. 1. ex. de sponsalib.
g c. dilectus. & ibi Henr. Boic. ex. de spōsal. Conar. lib. 4. decretal. 2 par. c. 2.
h c. si qui matrimonium. cum c. seq. 32. q. 7. l. patre furioso ff. de his qui sunt sui. §. furiosi. Instit quib. non est perm ff. fac. test.
i per tex. in c. solet. 32. q. 2.

iamsi fortè Innocent. Panor. & Præpos. aliter opinentur[k].

VIII.

Matrimonium enim circa tria bona (vt appellant) versatur: fidem, prolem & Sacramentum, quæ in eius conciliatione, saltem quoad contrahentium propositum, abesse non possunt[l].

IX.

Licet in exteriore iudicio, si de ea rusticitate non constet, pro Matrimonio simpliciter contracto aliter existimandum sit, hoc est, vt simpliciter Matrimonium contrahentes præsumantur perpetuum & indissolubile fœdus percussisse, etiamsi fortasse contrahentium voluntas & mens ab hac præsumptione discrepet.

X.

Eoq; accidere potest, vt quandoq; Iudex iusto errore circumuentus pronunciet de matrimonio quasi legitimè contracto, licet reuera nullum subsit, & è contrà perperam disiungat matrimonium re ipsa & verè copulatum; vti vsu quoq; venit in clandestinis nuptiis[m].

XI.

Siquidem Ecclesia, vti apud SS. Canones extat, de occultis non iudicat[n], sed legitima probatione nititur[o].

XII.

Sed quid si de verbis contracti matrimonij contentio incidat, ita, vt alter contrahentium verborum sensum aliò detorqueat? Iudex consultò fecerit, si communē verborum sensum consectetur[p].

XIII.

Adhibito tamen Præpositi temperamento[q],

k Moti authoritate text. in d. c. ex literis.

l c. omne itaq. 27. q. 2. & c. fi. ex. de cond. appos. & d. c. soles.

m c. 2. ext. de cland. despons. innoc. i. 30. q. 5.

n c. erubescant. in fi. dist. 32. c. beatus 22. q. 2. & c. vnico § porro. ex. vt Eccles. ben. sine dim. confer.

o c. penult. et vlt. 30. q. 5.

p d. c. ex literis, facit tex. in l. semper in stipulationibus. ff. de reg. iuris.

q ad d. c. ex literis.

vt non minùs habeatur ratio proferentis: quia si à persona agresti & rudi verba enuncientur, rudi quoq; modo ac sensu accipi debent [r]: solet enim vulgò dici: Qualis vir, talis oratio.

r per l. mancipia & ibi Bald. C. de seru. fugit. l. si seruum plurium. in fi. ff. de leg. 1. & d. l. semper.

XIV.

Cæterùm in hac facti specie: si Italus & Germana in Matrimonium conueniant vterque proprio idiomate verba proferens contrahendo Matrimonio apta; an ex eo, quòd vnus alterius verborum sententiam non perceperit, Matrimonium nihilominus inter ipsos coactum definiri possit? Quod existimat, & quidem rectè Dida. Couar.[s]: si modò gestus ex communi vsu coniugales vel antecesserint, vel subsequuti fuerint.

s præ alleg. lo. 2. par. c. 4. §. 1. & fac. tex. in c. cum apud. & c. tuæ fraternitati, ext. de sponsal.

XV.

Hæsitatum quoq; memini [t]: vtrum hæc verba; volo te habere in vxorem, vel: volo tecum contrahere Matrimonium, aut similia, præsentem, an futurum coniugij consensum denotent? Nos prioris generis verba ad præsentem consensum, posterioris verò ad futurum Matrimonij sponsionem referenda ducimus [u].


t de quo apud Iacob. Menoch. de arb. indicum lib. 2. cent. 5. casu 496.

u per tex. in c. ex parte. ex. de sponsal. probaturq; arg. l. apud Aufidiū. ff. de optio. legata. l. iam dubitari. vbi gloss. ff. de hered. instit. l. & eo modo. ff. de leg. 1.

XVI.

Tametsi his verbis: non habebo aliam in vxorem, nisi te, ne quidem sponsalia intelligi bellissimè defendat Couarruuias [x].

x sup. alleg. loco.



DE CLANDESTINO MATRIMONIO.

CAPVT II.

THESIS I.

V M consensus priuatus, id est, semotis testibus interpositus, non minùs consensus sit, quàm publica contestatione initus[a]: dubium non est, quin & Matrimonij fœdus, quod solo consensu constat[b], clanculù contrahi possit[c].

II.

Sacri tamen Canones clandestinum Matrimonium iustissimo semper odio prosecuti sunt, adeò, vt in obscuro coniunctionem maris & fœminæ potiùs præsumant, & interpretentur contubernium, fornicationem, aut stuprum, quàm verum ac legitimum Matrimonium[d]: licet ius ciuile huic præsumptioni reluctetur[e].

III.

Quá ratione accidit, vt clàm contrahentes nuptias, ad subeundum & exequendum Matrimonij officia adigi non possint, sed potiùs Ecclesiæ authoritate, vt mutuam habitationem & commercium deserant, pœnali edicto constringendi sint[f].

IV.

Non quidem, quòd Ecclesia hac ratione Matrimonium verè, licet occultè contractum, re ipsa dissoluat[g], (illud enim semel initum indissolubile est) sed quod de veritate contractus, qui in facto consistit[h], & idcirco etiam prudentissimos fallat[i],

a *l. ab Anastasio. & ibi quoque Bald. C. mandati. l. non minorem. C. de transactio.*
b *c. sufficiat. 27. q. 2. c. cùm locum c. tuæ. ex. de sponsal. l. nuptias. ff. de reg. iur.*
c *c. 2. ex. de cland. desponsf. Card. Paleot. lib. sing. de noth. & spur. cap. 5.*
d *c. aliter. 30. q. 5.*
e *in l. in libera. ff. de rit. nupt.*
f *d. c. 2. ex. de cland. desponsf.*
g *c. si inter. ex. de sponsal. c. penult. & vlt. ext. de translat. Epis. Instit. de pat. pot. in princ.*
h *vt notatur ex c. cùm in iure ex. de offic. deleg.*
i *l. 2. ff. de iur. & fact. ignor.*

aliter decernere non possit, quàm secùndum eius legitimam probationem[k].

V.

Vnde in duobus matrimoniis ab eodem contractis, quorum scilicet vnum clàm, alterum palàm initum est, rectè Iudex pro posteriori sententiam pronunciat, licèt priùs antea verè contractum, posteriùs contrahendum impedierit[l].

VI.

Vsq; adeò, vt etiam ad posterioris matrimonij obseruationem iustè reluctantem constringere possit: licet hac ratione Iudex iustissimo errore deceptus adulterij occasionem præbeat[m].

VII.

Quid igitur, impunè fecerit Iudicis imperio adactus si secundas nuptias sequatur? Minimè verò. Nam adulterij se obstringit scelere. Consultò igitur negliget? vtique. Nam potiùs Ecclesiastica censura sustinenda est, quàm vt peccato subscribatur[n].

VIII.

Qui enim hoc casu Ecclesiæ præcepto siue censuræ non paret, tantùm abest, vt apud DEVM aliquo crimine insimuletur, quin verissimum est, eum præmio affici, si patienter Ecclesiæ sententiam perferat[o].

IX.

Siquidem apud DEVM non nisi veritati locus est, cessante omni præsumptione[p], quam Ecclesia sæpenumerò necessario sequitur, propter latentem veritatem contrariam, de qua in obscuro affirmare non audet[q].

Quo

k c. vlt. in fi. 32. q. 5. §. hu ita. cum 2 cap seq. 30 q. 5. text. elegans in c. 2. ext. de off. ord. l. duo sunt Titij. ff. de testam. tut.

l ex c. 2. ex. de cland. desponſ.

m c. nemo blandiatur. c. meretricem. 32. q. 4. Conc. Trid. sess. 24. c. 1. circa prin. decr. de reform. matrim.

n c. inquisitioni. ext. de sent. excom.

o c. qui iustus. 11 q 3.

p c. tua nos. ex. de spōsal. Nauar. in suo manuali c. 22. n. 51. §. septimum.

q c. erubescant. 32. dist. d. c. vnico. vt Eccles. beneficia.

X.

Quo sensu accipiendum est vulgare illud pronunciatum[r]: Excommunicatio quamuis iniusta timenda est, scilicet patienter sufferendo, ne si superbè contemnatur, indignationem Dei commoueat[s].

XI.

Ex quo facilè conuincitur eorum error, qui existimant excusari eum, qui ad mandatum Ecclesiæ matrimonium secundò contractum corporis commistione expleueò, quod hac specie licitum sit ex duobus malis seligere illud, quod minùs est[t]: quia hîc nullum malum incurritur non parendo Ecclesiæ imperio, sed tantùm apud homines notatur propter auctoritatem Ecclesiæ, quæ ex falsa præsumptione processit[u].

XII.

Verùm ex duobus malis tùm demùm eligendum est minùs, quando vtrumque ita vrget, vt necessariò alterum permittendum sit[x], non si nos ipsi peccatum aliquod perpetrandum suscipimus, ad quod nullo proposito discrimine compelli debemus.

XIII.

Neq; enim fornicari licet conseruandæ vitæ suæ causa[y], nec mendacium proferendum vt alterius incolumitati consulatur[z], aut aliud quid turpe committendum.

XIV.

Vt autem clandestini matrimonij incommoda euitari possint, prudentissimè ab Innocent. 3. cautum est[a]; vt contrahenda matrimonia in Ecclesia pub-

r ex. c. 1. 11. q. 3.

s Gratianus ad d. c. qui iustus est. §. seq.

t per tex. in c. duo mala. 13. dist. c. non solum & ibi gloss. 22. q. 4.

u In hanc rem videndi sunt tex. sing. in c. si Dominus. c. si quis Episcopus. c. non semper. c. Iulianus. & c. seq. 11. q. 3.

x vt in c. si quod verius 33. q. 2. c. non potest. 23. q. 4. c. si dist. 4.

y c. 3. 32. q. 5. l. palàm. §. non est ignoscendum. ff. d. rit. nupt.

z c. neq; arbitretur. 22. q. 2. c. super ea de vsur.

a in c. fi. ex. de cland. desponf.

publicè priùs denuncientur, alioquin illegitimam fore prolem, quæ in gradu prohibito à parentibus ignorantibus suscepta erit[b].

XV.

Quod recentiori iure secutum est Concilium Trid. adeò clandestinas nuptias exhorrens atque detestans, vt præterea iustè adiecerit, matrimonium frustrà contrahi, si sine præsentia Parochi vel alterius Sacerdotis de Parochi vel Ordinarij licentia & duobus vel tribus testibus celebretur[c].

XVI.

Quo decreto & illud effectum est, vt omnia præsumpta matrimonia abrogata censeantur, qualia sunt: quando sponsalia per carnalem copulam subsequentem in matrimonium transeunt[d], aut per concubitum siue cohabitationem spontaneam purgatur matrimonium iusto metu contractum[e]: Nam hæc à iure veteri præsumpta dicuntur, quæ ex noua Conci. Trid. constitutione ideò irrita decernuntur, quod absque Parocho vel alio Sacerdote & duobus vel tribus testibus, matrimonij naturam asciscere non possint.

XVII.

Quo similiter corruit præsumptum illud matrimonium, quod ex decennij cohabitatione maris & fœminę in obscuro colligunt iuris interpretes[f]; licet alioqui huic præsumptioni etiam textus Decretalium refragetur[g].

b fac. tex. in l. fin. ff. de rit. nupt.

c vide omninò sess. 24. c. 1. de refor. matrim.

d c. veniens. 2. & c. is qui fidē. ex. de sponsal.

e vt in c. ad id. d. tit. & in c. significauit ex. de eo qui dux.

f Host. Abb. & alij relati à Couar. in 4. decret. c. 1. n. 5. par. 2. quem vide.

g in c. illud ext. de præsumptio.

DE

DE CONDITIONIBVS MATRIMONII.

CAPVT III.

THESIS I.

NOn tamen necesse est matrimonium purè semper contrahi, quin & eius consensum conditionis adiectione suspendi posse, aperto iure receptum est[a].

II.

Conditionem autem eam intelligimus, quæ futurum tempus respicit, non quæ in præteritum vel præsens tempus confertur[b].

III.

Nam cùm hæc per rerum naturam certa sit, non moratur obligationem, licet nobis incerta videatur[c].

IV.

Vnde si in coëundo matrimonio adiiciatur: contraho tecum, si pater tuus consul sit vel fuerit, matrimonium non differtur, sed pro rei veritate aut falsitate ilicò subsistit, aut omninò corruit[d].

V.

Atque hæc de conditione consensui Matrimoniali adiecta. An autem ipsi Matrimonio conditio futura appingi possit, pugna non caret. Id enim inficiantur. Couar.[e] & Dom. Soto[f]: Glossa verò[g] Panor.[h] Ant. de Butrio & Præpos.[i] contrà astruunt, quorũ sententiã & nos comprobamus[k].

VI.

Tametsi hoc casu requiratur, vt contrahentes in

a c. 2. c. super. c. per tuas. ex. de condit. appos.

b l. itaque. ff. si cert. pet. §. sub conditione. Instit. de verb. oblig.

c §. conditiones. Instit. d. tit. l. cũ ad præsens. l. seq. ff si cert. pet.

d l. institutio talis. in fi. ff. de condit. instit. l. cum in secundo testam. ff. de iniust. rupt. & irr. test.

e d. par. 2. c. 3. n. 3.

f in 4. sent. dist. 29. q. 2. art. 1.

g ad c. fi. ex. de condit. appos. ad c. solet. 32. q. 2.

h ad c. 1. ex. d. tit.

i ad c. super eo. ext. eod. tit.

k per tex. in d. c. super eo. & c. per tuas. ext. eo. & in c. non oportet. in fi. 28. q. 1.

161

XI.

Quò ſpectat illa diſputatio; an inter Deiparam virginem & Ioſephum vernm matrimonium conſtiterit? Mouet dubitationem, quod ipſa ex quorundam Theologorum[y], ſententia, votum virginitatis emiſerit. Vouentibus autem non ſolùm nubere, ſed etiam velle damnabile eſt, ex auctoritate Hieronymi[z]. Nobis verò probabilius videtur D. virginem ante contractas nuptias nullo voti vinculo ſe obſtrinxiſſe, ſed tantùm animi propoſito illud concepiſſe, idque adiecta lege, niſi Deus aliter ei reuelaret, vt author eſt Auguſt.[a], vnde ſine controuerſia rectè contrahere potuit[b].

y D Thom & aliorū teſte Dom. Sot. in 4. ſent. diſt. 30. q. 1. ar. 2. quos & ſequitur. Couar alleg. lo.

z in c. 2. 17. q. 1.

a citatus à Gratiano in c. B. Maria 27. q. 2.

b d. c. B. Maria. c. coniunx. cum c. ſeq. ead. q.

XII.

His affinis incidit quæſtio: an ſicut pactum contra ſubſtantialia matrimonij initum, illud omninò infirmat; ita eadem ratione infringatur religionis profeſſio ex adiectione conditionum, quæ ipſi religioni aduerſantur: quales ſunt: ſi proprium poſſidere poſſim, ſi vti matrimonio, aut ſuperiori non parêre liceat. In quo etſi apud Panor.[c]: & Did. Couar.[d], ingens auctorum diſſenſio ſit; magis tamen placet, vt idem vtrobique ius ſtatuatur[e].

c ad c. fi. ex. de condit. appoſ. iunctâ ibidem marginali notatione.


d d. c. 3 n. 18.

e per tex. in c. cum ad monaſterium. ex. de ſtat. Monach. & ea quæ adducit. Dō Sot. lib. 7. q. 5. art. 2. 3 & 4. de iuſt. & iur.

XIII.

Quod tamen in ſacri ordinis ſuſceptione diuerſum cenſemus[f].

f c. Diaconi. 28. diſt. quod exiſtimat Panor. ad c. cum M n. 15 ext. de conſtit. & ad c. fi.



DE

DE ÆTATE MATRIMONIVM CONTRAHENTIVM.

CAPVT IV.

THESIS. I.



Atrimonium vt suis partibus absoluatur, suprà asseruimus, præter consensum requiri legitimam contrahentium ætatem [a].

a in thesi. 4.

II.

Quæ non tàm ex annorum subductione, quàm corporis statu, id est, pubertate metienda est [b].

b c. 2. c. 3. c. attestationes. c. continebatur. c. ex literis. ext. de despons. impub.

III.

Soletq; contingere in masculo anno ætatis 14. in fœmina verò 12. quia eo temporis lapsu ad exercendam copulam idoneus quis præsumitur [c].

c Inst. quib mod. tut. fin. in pr. l. fin. C. quádo tut. aut cur. esse des.

IV.

Vnde cùm hæc Iuris tantùm præsumptio sit, admittit probationem in contrarium [d].

d c. continebatur. iuncto c. proposuisti. de prob. c. quia verisimile. de renunciat. ex l. non est verisimile. ff. de eo. quod met. cau.

V.

Ideoq; si ex corporis inspectione, vel copula præmissa inter eosdem aut diuersos, de coëundi potentia ante prædictam ætatem liquidò constiterit, meritò, hac præsumptione post habita, ipsi veritati adhæretur [e], vti multis exemplis exploratum est [f].

e c. puberes. ext. de despons. impub.
f in c. Iordane. ex. de eo qui cog. cons. vx. et apud. gloss. in summa 20. q. 1. & Hen. Boic. ad d. c. puberes. n. 7.

VI.

Sed an eàdem ratione legitima contrahentium ætas prorogari possit, hoc est, si 14. aut 12. anno elapso adhuc inepti ad copulam depræhendantur, cogendi sint abstinere matrimonio, non in-

iniuria addubitatur. Nos affirmantem glossam [g], de iure veriorem tuebimur, quamuis communis opinio huic reluctetur [h].

[g] ad d.c. puberes, quã etiam videtur sequi Praep. ex ratione tex. in c. de illis 2. ex. de desp. impub.
[h] teste Panor. ad d.c puberes.

DE MATRIMONII IMPEDIMENTIS.

CAPVT V.

THESIS I.



Icet itaq; ad constituendum Matrimonij ius, ætatem & consensum legitimum sufficere diximus: id tamen ita exaudiendum est; si modo contrahentes eius suscipiendi & tractandi capaces sint, id est, nullo iuris impedimento detineantur.

II.

Nam quamuis matrimonium à DEO tanquam omnibus commune institutum sit [a], Ecclesia tamen Chisti diuino spiritu adducta [b], quosdam ab vsu matrimonij rectissimè submouet [c].

[a] Genes. 1. cap.
[b] Math 28. Ioan. 14. 16. Lucæ 10. cap.
[c] Conc. Trid. can. 4. de sacra. matri.

III.

In eam rem duplici impedimentorum genere constituto: Nam quædam sunt, quæ matrimonium non tantùm impediunt contrahendum, verùm etiam contractum dirimunt. vt sunt votum, ordo sacer, cognatio, affinitas, homicidiũ & adulterium certis casibus, fidei dissimilitudo, alterius matrimonij vinculum, publicæ honestatis iustitia & imbecillitas congrediendi. Adde ex decreto Concilij. Trid. [d], absentiam Parochi siue alterius

[d] de quo sup. de cland. matrim.

Sacerdotis & duorum vel trium testium. Item errorem conditionis, atq; iustum metum, quæ suis infrà sigillatim capitibus explicabuntur. Quædam verò impedimenta matrimonio quidem contrahendo officiunt, sed contractũ minimè dissoluunt, hoc est, qui his impedimentis illigantur, aduersus Canones quidem delinquunt, sed interim matrimonium verum contrahunt: vt si quis contra imperium Episcopi, Iudicis aut Parochi thalami fœdus ineat[e], aut tempore feriarum solennitates nuptiarum vsurpet[f], vel simplici voto seu aliis sponsalibus implicatus ad aliud coniugium diuertat[g], aut cum hæretica[h], siue neophyta sua[i], contrahat. His enim & similibus casibus matrimonium interdicitur, non tamen contractum dissoluitur.

e vt videre est to. tit. ex. de mat. contra cõt. interdict. Eccl.
f c. Capellanus ex. de fer. c. non oportet. cũ trib. seqq. 33. q. 4. iuncto Conc. Trid sess. 24. cap. 10. de refor. matr.
g c. rursus ex. qui cler. vel vouent. & c. vn. de voto & vot. red. 6. vide priorem dispu. de spõsal asseri 10 & seq.
h c penult. 28. q 2 Bellar. lib. 1. de sacr. matrim. c. 23. Couar. quẽ vide in 4. decret. 2. p. c. 6. §. 11. n. 4.
i c. 2. de cogn. spirit. in 6.

DE IMPEDIMENTO VOTI ET SACRI ORDINIS.

CAPVT VI.

THESIS I.



Voti duplex significatio & discrimen est, aliud enim votum solenne, aliud simplex est: Illud à Bonifacio ita describitur[a]: quod solennizatum est per susceptionem sacri Ordinis, aut professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per sedem Apostolicam approbatis. Hoc verò est, quodcunque aliud votum siue occultum siue publicum.

a c. vn. in fi. de voto. in 6. c. ex parte. 2. ext. de conuers. coniug.

Esse-

II.

Effectus vtriusque planè diuersus est: Nam solenne votum nulla ratione matrimonium patitur; simplex verò admittit, licet non impunè[b], vt & suprà monuimus.

III.

Licet & hoc intersit inter votum, religionis solenne, & illud, quod Ordinis sacri susceptione tacitè concipitur, quòd illud Matrimonium corporum commixtione nondum expletum penitus distrahat[c]; hoc verò minimè[d]: consummato autem connubio neutrum obest[e].

IV.

De minoribus Ordinibus nulla dubitatio est, quin Matrimonio contrahendo nihil officiant, sicut multis constitutionibus expressum est[f].

b *d. c. vn. c. consuluit. & c. rursus. ext. qui cle. vel vou.*

c *c. 1. & c. ex publico. ext. de conuers. coniug.*

d *c. vn. de vot. et vot. red. extrauag.*

e *d. c. ex publico. in fi. & c. ad apostolicam. d. t. de conuers. coniug. c. inter & c. licet. de transl. Epis. ext.*

f *in c. 1. c. 3. c. 5. ex. de cler. coniug. c. si qui verò. c. placuit. cum seq. dist. 32.*

DE IMPEDIMENTO COGNATIONIS.

CAPVT VII.

THESIS I.

COgnationis triplex est ordo, Spiritualis, Legalis & Naturalis.

II.

Spiritualis cognatio nascitur ex duobus Sacramentis Baptismo & Confirmatione[a], contrahiturq; hodie ex constitutione SS. Conc. Trid.[b], inter suscipientes ac baptizatum ipsum & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem

a *c. fi. de cog. spirit. in 6.*

b *in sess. 24. cap. 2. de refor. matrim.*

& baptizatum baptizatique patrem ac matrem. Idq; in Sacramento Baptismi. In confirmatione verò, confirmantem & confirmatum illiusque patrem & matrem ac tenentem non excedit.

III.

Eiusq; effectus est, vt & nuptiis contrahendis obsistat & post contractas dissoluat[c]. Nam præcedentibus nihil adimit[d].

IV.

Per Procuratorem cognatio spiritualis an contrahatur magna apud Panor. altercatio est[e]. Negantem partem non improbata ratione tuebimur[f]. Nisi consuetudo aliud suggerat[g].

V.

De Monachis quod patrinorum munere fungi non debeant, extra controuersiam est[h].

VI.

Legalis verò cognatio prouenit ex liberorum adoptione; si quis enim quempiam in filium, filiamuè, nepotem neptemuè aut deinceps adoptauerit, iuris auctoritate conflatur in eos mutua cognatio matrimonium simul impediens & dirimens[i], etiam solutâ per emancipationem adoptione[k].

VII.

Quæ similiter & ex latere prouenientes afficit: Nam inter filios naturales adoptantis & ipsum adoptatum eadem legitima cognatio contrahitur, non tamen vt in ascendentibus & descendentibus perpetua, sed donec eiusdem parentis sacris continentur[l].

c d. cap. 2. sess. 24. & d. §. c. si. c. veniens. ex. eod. tit.

d c. si vir. ext. eod. c. nosse desideras. cum cc. seqq. 30. q. 1.

e d. c. veniens. ex. de cogn. spirit.

f adducti authoritate Conc. Triden sess. 24. cap. 2. de ref. Matr.

g per tex. in c. si propter. de rescript. lib. 6. cui adde c. 1. de consti. eod. lib.

h c. non licet cum c. seq. et c Monachi. dist. 4 c. placuit. 16. q. 1. c. peruenit. 18 q. 2.

i c. 1 30 q. 3. Syluest. verb. matrimonium 8. q. 8. S. Tho. Richard. & Theologi in 4. sent. dist. 42. teste ibidem Dom. Soto. q. 3. a. 2. vide Nauar. in Enchir. cap. 22. n. 44. cū seq.

k § & hæc adeo Inst. de nupt. l. adoptiuus. in prin. ff. de rit. nupt.

l §. sed si qua per adoptionem. Inst. d t. c. vn. ex. de cognat. leg. c. post susceptum. cum seq. 30 q. 3.

Cùm

VIII.

Cùm enim hæc cognatio ad veri Matrimonij similitudinem instituta sit, ratio non patitur, vt parentes cum descendentibus, aut fratres & sorores inter se nuptiis coniungantur[m].

[m] d.c.1. Card. Palæot. de noth. spur. ca. 6. n. 9.

DE TERTIO IMPEDIMENTO COGNATIONIS, SCILICET NATVRALIS.

CAPVT VIII.

THESIS. I.

QVI iure cognationis naturalis inter se iūcti sunt, rectè consanguinei appellantur, quasi eodem sanguine prognati; ideoque hoc nomen latiùs patet, quàm apud veteres IC.os Nam & eiusdem sanguinis necessitudine hîc continentur, qui ex illicito concubitu profecti sunt[a].

II.

Hi autem triplici inter se ordine secernuntur; alij enim superioris ordinis consanguinei sunt, alij inferioris, alij verò ex transuerso siue ex latere prodeuntes; ita vt superior consanguinitas parentum sit, inferior liberorum, ex transuerso fratrum, sororum, eorumq; qui quæuè ex his progenerantur; & conuenienter patrui, amitæ, auunculi, materteræ[b].

III.

Et quidem inter ascendentes & descendentes perpetua siue in infinitum est Matrimonij prohibitio[c]. vti contra Goffred. & alios[d], rectissimè com-

[a] l. si spurius. ff unde cognati. §. 1. Instit. de leg. ag. succes. c. per tuas. ex. de probat.

[b] Inst. de grad. cogn. in pr. l. 1. cum seq. ff. de grad. aff. c. primo gradu. 35. q. 5.

[c] l. nuptiæ. §. ff. de rit. nupt.

[d] vt videre est apud Host. in sum. sua § quæ consueuerunt, et apud Præpos. in arb. cōsang. n. 31.

comprobant Panor.[e], & Ioan. And.[f] atq; ex recentioribus Card. Palæotg.

IV.

In transuersalibus verò matrimonij inhibitio non tàm longè se diffundit, sed tantùm cautum extat, ne quartum cognationis gradum egrediatur[h]; licet ea iure antiquorum Canonum ad septimum vsq; gradum producta esset[i]; adeò, vt hodie inter abnepotem & abneptem iustæ nuptiæ consistere possint.

V.

Hac nihilominus moderatione adhibitâ, vt minimè necesse sit vtrumq; contrahentium quartum consanguinitatis gradum excessisse, sed sufficiat alterum tantùm quinto aut remotiori gradu à communi parente reperiri, etiamsi alter non nisi primo aut secundo gradu ab eodem seiunctus sit[k].

VI.

Quò accidit, vt matrimonium rectè & legitimè concilietur inter me; qui primo, secundo aut tertio gradu à stipite disto, & illam, quæ quinto gradu ab eodē semota est, iuxta regulam: Quoto gradu remotior distat à stipite, totidem distat à quolibet alio descendentium per aliam lineam ex eodem[l]. Licet ius ciuile huic regulæ frustra reluctetur[m].

e ad c. non debet. n. 8. ex. de consang. & aff.
f in declarat. arb. consang. vbi com. opinionem testatur.
g lib. suo sing. de noth. spur. c. 6. nu. 3.
h d. c. non debet. §. prohibitio.
i c. de affinitate c. de consanguinitate. c. progeniem. c. porrò. 35. q. 3. c. series. c. ad sedem. ead. q. 5.
k c. fi. d. tit. de consang & affin.
l d. c. fi. & ibi gloss. Anto. de But. & Prepos.
m in §. fratrū Inst. de nupt. in l. sororem ff. de rit. nupt.

DE

DE IMPEDIMENTO AFFINITATIS.

CAPVT IX.

THESIS I.

NOn minùs quoq; affinitatis prospectu, à quorundam nuptiis abstinendum censet vtrumque Ius[a], propter mutuam carnis communicationem inter coëuntes[b]. Dico coëuntes, vt & hoc nomine illicitum congressum complectar[c].

II.

Quocircà hoc modo rectè describitur Affinitas, vt sit diuersarum cognationum per nuptias, siue alium concubitum copulatio; Nam per affinitatem vna cognatio ad alterius finem, id est, latus accedit[d].

III.

Non quidem eâ significatione, quasi vtriusque viri & mulieris cognati inter se affinitatem contrahant, sed quod cognati viri fiant affines mulieri, & è contra, cognati mulieris fiant affines viro. Vltra affinitas non porrigitur[e].

IV.

Quò fit, vt pater & filius cum matre & filia, item duo cognati ex vno, cùm duobus ex altero latere legitimo matrimonio coniungantur[f].

V.

Quare cùm ob carnis vtrinq; communicationem hoc affinitatis impedimentum introductum sit; necessariò sequitur, vt non minùs à consanguineis vxoris, quàm à propriis abstinendum sit[g].

Iis-

a in d.c.nō debet. cum similib & §. affinitatis. Inst. d. t.

b Genes. 2. cap. ad Corinth. 1. c. 6.

c c. tuæ. s. Iordane. & c. discretionem. ex. de eo qui cog. ex.

d l. non facilè. §. affinis. ff. de grad. affi.

e c. quod super his. ex de consang. & affin.

f d. c. quod super his.

g c. 1. §. inquisita ext. de consang. & affin. c. æqualiter cum duob. cc. seqq. c. nullum. c. de propinquis. 35. q. 2.

VI.

Iisdem, videlicet, gradibus, qui in consanguinitate suprà expressi sunt, tam quoad collaterales in quarto gradu[h].

VII.

Quàm quoad ascendentes & descendentes in infinitum[i]. Quia & hi parentum & liberorum loco habentur[k].

VIII.

Hîc tamen meminisse oportet; SS. Trid. synodum, grauissimis de causis, affinitatis impedimentum quod ex fornicatione contrahitur, primis duobus tantùm gradibus conclusisse, ita, vt in vlterioribus gradibus Matrimonium legitimè constet[l].

DE IMPEDIMENTO HOMICIDII ET ADVLTERII,

CAPVT X.

THESIS I.

NE autem Matrimonij Sacramentum, quod religiosè & sanctè tractandum est[a], impunè violetur, prudentissimè à SS. Canonibus sancitum est, vt si quis ea immanitate & scelere corripiatur, vt alterius coniugis potiundi causa alteri necem adferat, eius consequendi spe prorsus excludatur[b].

II.

Vsq; adeò, etiamsi altero coniugum à religione

h ex d. c. non debet §. prohibitio.

i vti scribit ex Host. et Io. And. Henr. Boic. ad d. c. nō debet. nu. 3.

k l. non facilè. §. hos itaque ff. de grad. affi. uncta l. nuptiæ. 4. ff. de rit. nupt.

l in sess. 24. cap. 4. de refor. mat. in quo videnda est declaratio Pij 4. in extrauag. ad Roman. edita 1564 & Pij 5.

a Conc. Trid. sess. 24. c. 10. in fi. de refor. matrim.

b c. si quis viuente. 31. q. 1. c. 1. ex. de conuers. infid.

ne Christi alieno & ad eiusdem conuersionem procurandam, mors alteri coniugum illata sit[c].

III.

Quâ tamen specie vtriusque tàm superstitis, quàm nuptias impiè affectantis conspiratio requiritur; adeò, vt vnius delictum non sufficiat[d].

IV.

Quocircà satis alienum est, quod aduersarij vrgent de Dauidis & Bersabeæ coniugio[e]: quia Bersabea nihil in mortem Vriæ machinata legitur. Tum impedimentum hoc postmodum ab Ecclesia introductum fuit.

V.

Eadem sanè pœna adulterij scelus coërcetur, si quis cum aliena vxore adulterium commiserit, data sponsione de contrahendo cum eadem Matrimonio, aut eo de facto contracto; Nam & eiusdē Matrimonij spes à SS. Canonibus inciditur[f]: etiamsi constante diuortio adulterium perpetratum sit[g].

VI.

In quò rectiùs explicando tres casus à DD. considerantur. Primus est cum adulter procurat mortem coniugis suæ, vel mariti adulteræ, vt cum adultera in Matrimonium liberè descendat vel è contra[h]. Alter est, si adulteri sibi mutuò fidem dederint de Matrimonio inter se contrahendo post mortem vxoris adulteri vel mariti adulteræ[i]. Tertius est, si de facto adulteri inter se contraxerint viuentibus prioribus coniugibus[k]. Atque his tribus tantùm casibus Matrimonium contractum irritum decernitur[l].

c d. c. 1.

d arg. c. 1. in fi. ex. de eo qui dux. in vx. Panor. ibidem. Bellarm. d. lo. cap. 22. vide latius in summa iam à me edita sub Tit. de homicidiis, adult. & iura ibid. alleg. in margin.

e ex lib. 2. Regum 11. cap.

f c. 1. in fi. c. cum haberet. & c. fi. d. t. de eo qui dux.

g c. ex literarum. & c. significasti. d. t.

h c. super hoc d. tit.

i c. relatum. 31. q. 1. & c. fi. ex. d. tit.

k d. c. fi.

l per alleg. iura et Bellar. d. loco. Vide in Summa, iam allegato loco.

VII.

Ex quibus consequens est, vt duobus posterioribus casibus, adulterium solùm absq; spõsione vel matrimonio de facto contracto nihil obsit sequentibus nuptiis; sed vtriusque concursus requiratur [m].

VIII.

Et quemadmodum supra in homicidio vtriusque dolum desiderari diximus, ita & hîc vtriusque scientiam exigimus, id est, vt vterq; adulter conscius sit vitæ alterius coniugis. Si qua enim errore decepta cum adultero tanquam cum cælibe contrahat; nihil prohibet, quin postea adulteri vxore defuncta, cum eodem nuptiarum fœdus repetat [n].

IX.

Sed quæstionis est, annè sola scientiâ mortis adulteri vxoris, reconcilietur siue conualescat matrimonium de facto antè contractum? Quod non existimamus [o]. Nec enim scientia consensum arguit [p]; qui in constituendo matrimonio necessariò exigitur [q].

[m] *c. significasti & d. c. fi. ext. eod. tit. §. hic subaudiendum. cum cc. seqq. 31. q. 1.*

[n] *c. 1. ex. d. t. & d. §. hic subaudiendum.*

[o] *vnà cum Nauar. d. c. 22. n. 46.*

[p] *l. sicut. §. non videtur. ff. quib. mod. pig. vel hyp. solu.*

[q] *c. tuæ fraternitati. c. tua nos. ex. desponsal. l. nuptias. ff. de reg. iur.*

DE IMPEDIMENTO INFIDELITATIS EX FIDEI DISSIMILITVDINE.

CAPVT XI.

THESIS I.


Vemadmodum ex præscripto veteris Testamenti Iudaico populo interdictum fuit, ne cum Ethnicis matrimonia misceret; ita

ita & sanctissimè cauit Ecclesia Christi ne Christianus cum Iudæa aut pagana nuptias contrahat [a].

II.

Nihil enim aliud est authore Cypriano [b]; iungere cum infidelibus vinculum matrimonij, quàm prostituere cum Gentilibus membra Christi.

III.

Quocirca etiam seuerè à Valentiniano, Theodosio & Arcadio Impp. sancitum fuit; nè Iudæus Christianam mulierem, aut Christianus Iudæam in matrimonium asciscat sub pœna adulterij [c].

IV.

Quæ tamen pœna (vt hoc addam) in simplici congressu inter Iudæum & Christianam prostitutam nequaquam admittenda est, sed potius arbitrio Iudicis adhibenda est [d].

V.

Illud autem extra omnem controuersiam est, inter vtrumque contrahentium infidelem, legitimum posse coniugium subsistere [e].

a c. caue. 28. q. 1. pro quo facit. authoritas D. Pauli ad Corint. 7. Conc. Toletanũ 3. can. 14. & Toletan. 4. can. 16.

b in sermone de lapsis. prout refert Couar. in 4. decret. 2. p. c. 6. §. 11.

c l. ne quis Christianã. 5. C. de Iudæis.

d per l. 1. §. 1. ff. de effractor. de quo apud Nicol. Boer. decis. 316. col. 3.

e tex. in c. gaudemus in c. quanto ex. de diuort. in c. de infidelib. ext. de consang. & affin.

DE IMPEDIMENTO ALTERIVS MATRIMONII ADHVC EXTANTIS.

CAPVT XII.

THESIS I.



MAtrimonium ex institutione diuina id peculiare habet, quod præter duos nullius alterius consortium admittat: Erunt duo in carne vna, inquit sacer textus [a].

a Genes. 2. cap. in f. Matth. 19.

II.

Quapropter polygamia iure ſemper damnata fuit[b], niſi in exemplis veteris teſtamenti, vt Patriarcharum, quibus ex diuina reuelatione plurium vxorum vſus permiſſus fuit[c].

III.

Quare neq; ob excitandam prolem altera vxor aſſumi poterit, licet prior ſterilitati obnoxia ſit[d], aut alio corporis vitio præpedita[e]. Quod æquè in marito obſeruandum eſt[f].

IV.

Neq; abſentia, etiamſi diuturna ſit, alterius coniugum iuſta cauſa eſt, alterum ſibi coniugem aſciſcendi; priuſquam de morte abſentis euidenter innoteſcat[g].

V.

Adeò vt probabilis defuncti coniectura hac in re minimè ſufficiat, & præſens interim coniunx continentiam ſuam ſuſpectam habeat[h].

VI.

Nam certus nuncius mortis exigitur, quem Iudex ſolers ex allatis circumſtantiis æſtimabit[i]: qui tamen ſi perferentis fide circumuentus de abſentis morte falsò pronunciauerit (quod ex abſentis reditu vel aliis certiſſimis argumentis liquere poteſt) prius matrimonium illicò reſtituendum erit; & poſterius de facto contractum, dirimendum[k].

VII.

Sed quid ſi vxor nullo certo nuncio perlato, ſed ſola ſuſpicione ducta apud ſe hæſitet de morte ab-

b c. gaudemus. de diuort. c. 1. & paſſim. tot. tit. de ſponſa. duor. ex. c. an non. 24. q. 3. Conc. Trid. ſeſſ. 24 de Sacr. Matr. can. 2. l. 2. C. de inceſt. nupt.

c d. c. gaudemus. verſ. nec vlli vnquam licuit. 2. Reg. 12. c. obiiciuntur. 32. q. 4.

d c. penult. ead. q. 7.

e c. 2. ex. de coniug. lepros. c. hi qui matrimonium. d. q. 7.

f d. c. 2. & hi qui.

g c. in præſentia. ext. de ſponſal.

h d. c. in præſentia.

i Panor. ad d. c. in præſentia.

k c. per bellicam. cum c. ſeq. c. ſi virgo. 34. q. 1. c. Dominus. ext. de 2. nupt.

te absentis mariti? Peccat quidem hac specie, si ad alterius consortium commeat, non tamen idcirco perperàm contrahit, quin constringi poterit ad reddendum coniugale debitum secundo marito; licet ipsa postulare illud non valeat[l].

VIII.

Non enim contra legem coniugij innocens maritus debito suo priuandus est, aut vxori permittendum, vt inuitâ conscientia quidquàm à marito secundo extorqueat[m].

IX.

Nisi fortè leuis & temeraria vxoris foret hæsitatio, quæ consilio Pastoris eximenda est, vt tandem eâ explosa liberè possit & exigere & reddere officia coniugum[n]: licet Dom. Soto, hanc rem aliter explicet, quem consule[o].

l d. c. Dominus. & c. per bellicam. de quo latiùs apud Nauar. in c. si quis autem. de pœnit. dist. 7. n. 101.

m c. fi. de præscript. & c. literas. de restit. spoliat. ext.

n videatur c. inquisitioni. de sent. excom.

o in 4. sent. dist. 37. q. vn. a. 5. & dist. 27. q. 1. a. 3.

DE IMPEDIMENTO IMBECILLITATIS CONGREDIENDI.

CAPVT XIII.

THESIS I.



Exploratum est, matrimonium à Deo institutum esse ad propagandum genus humanum, & ad consulendum hominum infirmitati[a].

II.

Quò accidit, vt si contrahentes commiscendi facultate destituantur, frustra matrimonium contrahant[b].

a Genes. 2. cap. 1. ad Corinth. 7. cap. c. nuptiarum. 27. q. 1.

b arg. c. cùm cessante. in pr. ex. de appell. & l. quod dictum est. ff. de pact.

III.

Prudenter itaque à SS. Canonibus introductum fuit, vt si quis naturali frigiditate conflictatus alteri corpus suum commuicare non possit, ab ineundis nuptiis arceatur [c].

IV.

Quod nisi certis argumentis constet, contractis nuptiis triennio comprobandum erit, quo lapso eadem nihilominus frigiditas confirmanda erit iurisiurandi religione tàm contrahentium, quam propinquorum (qui numero septem esse debent) ita vt illi iusiurandum veritatis præstent, hi verò, vt appellant, credulitatis, id est, quod credant contrahentes verum iurare [d].

V.

Si tamen hac ratione celebrato diuortio is, qui frigiditate notatus est, cum alia copulam exercuerit, disiunctæ nuptiæ restituendæ erunt. Nam non nisi erronea fuit illa disiunctio [e].

VI.

Idem censendum est de spadonibus, castratis & eunuchis; qui, si commixtione seminis coniungi non possint, æquè vt frigidi remoueantur [f].

VII.

Quid autem in sene? id quidem controuersum est. Verum probabilior opinio est glossæ [g], quæ & Panor. probatur, quod matrimonium à sene contractum subsistat [h].

VIII.

In fœmina verò, quæ adeò obstructa est, vt viri commercium non admittat, constituti quoq; iuris

c c. requisisti. 33 q. 1. c. 1. c. 2 & c. laudabilem. ext. de frig. & malefic.

d d. c. laudabilem & c. 2. ext. d. t. iuncto c. proposuisti. ex. de probat. Vide Panor. ad d. c. 2. & c. laudabilẽ & Dom. Soto in 4. sent. 34. d. q. 1. art. 2. cum seq.

e Per iura iam alleg.

f Per tex. in d. c. laudabilẽ. in verb. quod nunquam per carnn copulam. Panor. ad c. quod sedem. d. t. de frigid. & Dom. Soto. alleg. loc.

g Ad c. nuptiarum in verb. in quibusdã 27. q. 1.

h Ad d. c. quod sedẽ.

iuris est, quòd matrimonium perperàm contrahat; nisi fortè industria & opera humana, absque graui corporis læsione, ei succurri queat[i].

i c. ex literis, & c. fraternitatis. & ibi gloss. d. tit. de frigid.

IX.

De maleficiatis, hoc est Dæmonis aut improborum hominum fascinationibus illusis, idē, quod suprà in frigidis, obseruatur, vt scilicet contractum ab iis Matrimonium triennij cohibitatione & iureiurando probandum & confirmandum sit[k].

k c. fi. d. t. c. si per sortiarias. 33. q. 1.

X.

Quamuis in eo maleficiati à frigidis distent, quod illorum Matrimonium semel distractum nūquam restituatur; horum verò naturali vigore postea emergente restauretur[l].

l d. c. si per sortiarias. Panor. ad c. 1. ext. de frigid. n. 7. vbi reddit rationem diuersitatis. adde ibid. & alios.

XI.

Non tamen inuidendum est legitimè impeditis, quin non obstante frigiditate vel obstructione, simul commorari possint, vt quam vir vxorem habere nequit, habeat saltem vt sororem, ex Cœlestini & Lucij Pontificum constitutionibus[m].

m in d. c. laudabilem. & c. consultationi eod. tit.

DE IMPEDIMENTO PVBLICÆ HONESTATIS ET IVSTI METVS.

CAPVT XIV.

DE quibus in priori disputatione abundè dictum est[n].

n in cap. de sponsalib. assert. 29. cum sequentib. & cap. de matrimo. assert. 9. cum sequentib.

DE IMPEDIMENTO CONDITIONIS.

CAPVT XV.

THESIS. I.

Onditionem in re propoſita eam intelligimus, qua quis ſeruilis vel liberæ conditionis ſiue ſtatus exiſtimatur, ideoque ad qualitatem quandam ſubſtantialem matrimonij eam reducimus. Nam accidentariæ qualitates; vtpote, nobilitas, virginitas, pulchritudo, diuitiæ & ſimiles, nihil ad eſſentiam matrimonij pertinent. Vnde error in his admiſſus coniugio nihil nocet[a].

a Gratianus 29. q. 1. Henr. Boic. ad c. propoſuit. ext. de coniug. ſeruor.

II.

Sola ignorantia ſeruilis ſtatus ipſis nuptiis obſiſtit: ſi quis enim falſa opinione ductus cum ancilla in Matrimonium conueniat, quam ſuſpicabatur liberam; fruſtra contractum celebrat[b].

b c. 2. & c. ad noſtrã. ex. de coniug. ſeruor. c. ſi quis ingenuus 29. q. 2.

III.

Niſi poſteà comperta rei veritate cum eadem corporis commercium exerceat. Nam hâc ratione purgato errore Matrimonium conualeſcit[c].

c d. c. 2. & arg. l. 2. C. de his quæ vi met. cau.

IV.

Idem in libera & ſeruo reſpondendum eſt[d].

d d. c. ſi quis ingenuus.

V.

Illud dubio caret, legitimum Matrimonium inter ſeruos contrahi poſſe, etiam reluctante Domino[e]; modò alter alterius conditionem (vt anteà monui) non ignoret; quamuis Ius ciuile contrarium ſanxerit[f]. Quid

e c. 1. ext. d. t. ad Galat. cap. 3. c. 1. & c. 2. ead. q. 2.
f in l. cum ancillis C. de inceſt. nupt.

VI.

Quid autem, si liber homo cum libera contrahat, quam ancillam falsa opinione sibi fingit; aut seruus cum ancilla, quam liberam existimat, vtrum iustum matrimonium sit? In quo apud Gratiani Commentatorem [g], diuersæ sententiæ extant. Sed æquius est, nè matrimonium irritetur [h].

VII.

Vbi autem dissentiente Domino matrimonium à seruo contrahitur, non ex hoc seruus exuitur oneribus seruilibus, sed ad consueta officia cogi poterit [i]. Si tamen Dominus, seruum suum tanquam liberum alterius nuptiis elocauerit, aut saltem hoc malitiosè dissimulauerit, ius seruitutis in eo amittit [k].

g *In pri. quæst. 2. caus. 29.*

h *arg. l. soluendo. ff. de solutio. & l. 1. 2. & 3. ff. de lib. caus. Pan. qui & communē banc DD. sententiā astruit: ad d. c. proposuit.*

i *d. c. 1.*

k *§. si verò ab initio. Nouel. de nupt.*

DE DISPENSATIONE.

CAPVT XVI.

THESIS. I.

Qvæ hactenus de matrimonij impedimentis dicta sunt, ea partim perpetua & immutabilia sunt, partim verò S. Pontificis authoritate & dispensatione tolli ac remitti possunt.

II.

Quæ tolli non possunt, hæc potissimum recensentur: vinculum alterius matrimonij & iustus metus, quorum illud ius diuinum introduxit [a], alterum natura matrimonij præcipit [b].

a *Marci 10. Conc. Trident. sess. 24. c. 1. in doctri. de Sacra matri.*

b *c. cum locum. & ibi eleganter Panor. ext. de sponsal.*

III.

Iuri autem diuino nulla constitutione aut concessione humana, derogari potest[c]; sicut nec rei alicuius essentiæ[d].

IV.

Vnde inepta Interpretum locutio est, dum inquiunt S. Pontificem dispensare posse contra ius diuinum[e]: sola enim illi competit potestas declarandi siue interpretandi ius diuinum; ex quo deinde consequitur, idem ius ad quemlibet casum propositum produci non debere[f].

V.

Quod & in Principe ciuili euenit, vt & ei facultas sit interpretandi ius naturale etiam diuinum; sicut videre licet in præcepto Decalogi; Non occides, quo ex Iuris ciuilis interpretatione non continetur homicidium ob tutelam corporis patratum[g], aut homini nocenti Iudicis sententia illatum, & cet[h].

VI.

Atque hinc dependet grauissimæ illius quæstionis decisio: an S. Pontifex matrimonium ratum, hoc est, corporum coniunctione nondum absolutum; quò ad vinculum dissuere possit: Si enim simplicem scripturæ sententiam (Quod ergo DEVS coniunxit, homo non separet[i]) sequamur, prout eam passim probant Theologi[k], certius est, S. Pont. illud dirimere non posse; Sin exponere velimus cum iuris can. Interpretibus[l], propius dicendum erit, quòd possit. Verùm nos probabili ratione moti Theologorum calculo tan-

c Per tex. in c. cum inferior. ex. de maior. & obed. c. inferior sedes. 21. dist. Clem. 2. de elect. l. 3. ff. de re iud.

d c. tua, ext. de sponsal.

e De quo apud Panor. ad c. non est. de voto & Felin. ad c. quæ in Ecclesiarum, num. 19. de constitut. ext.

f c. ex publico. de conuers. coniug. c. maiores. de baptis. ext. D. Tho. quodlib. 4. a. 13. & quodl. 9. a. 15. Idē 12. q. 100 a. 8. qui videndus est.

g l. vt vim. ff. de inst. & iur.

h §. item lex. Cornelia. instit. de pub. iud. & passim lib. 9. Cod.

i Matthæi 19.

k Attestante Do. Sot. in 4. sent. dist. 27. q. 1. a. 4. & Couar. in 4. decret. 2. p. c. 7. n. 13. Quæ sent. Theologor. conferenda est cum c. ex parte 2. ext. de conuers. coniug. c. si. ext. de transact. Conc. Trident. sess. 24. de Sacra. Mat. & Panor. ad c. ex publico. ext. de conuers. coniug. qui videtur illis fauere, & Couar d. lo.

l Gloss & alij, vt videre est apud Butr. et Panor. ad d. c. ex publico. & Couar. præ all. loc.

tanquam veriori & tutiori adhærendum censemus, licet aliquãdo posteriorem opinionem in facto obtinuisse haud negemus[m].

VII.

Quare extra declarationem nihil sibi arrogare potest S. Pon. in causa Iuris diuini, sed sola eius auctoritas in sanciendo & antiquando siue etiam remittendo humano Iure versatur[n].

VIII.

Quòd adeo verum censemus, vt etiam Apostolorum sanctionibus & constitutionibus sacris literis expressis[o], aut generalium Conciliorum decretis causa exigente derogare possit[p].

IX.

Vnde profectum arbitramur, S. Pontificem in solenni voto (quamuis renitente Soto[q]) sacro ordine, consanguinitate & affinitate, ceterisque matrimonij legibus humano iure introductis dispensare posse[r].

X.

Etiam in gradibus consanguinitatis & affinitatis in Leuitico consignatis[s].

XI.

Nisi forte gradus sint, qui Iure gentium siue naturali interdicti sunt; quales sunt inter ascendentes & descendentes in infinitum[t], ac inter fratrem & sororem[u], qui Ecclesiæ dispensationem non ferunt[x]. Quibus ex affinibus subiunge nouercam, vitricum, socrum & socerum, quia parentum loco sunt[y],

m *Vt est apud D. Antonin. Archiep. Flor. in 3 p. tit. 1. c. 21. n. 3. de Martino V. & Eugenio IV. & Nauar. in Enchirid. c. 22. n. 21. qui tamen alteri sententiæ adhæret: et rectè, re aliter à nobis perspectâ. Sed consule latius eum, & Dom. Sot. sup. d. lo.*

n *c. non debet. in pr. de consang. & affin. iuncto c. cum inferior. de maior. & obed. ex clem. 2. de elect.*

o *1. ad Timoth. 3. cap. & c. 2. ext. de bigam. cum c. Lucius. & ibi gloss. 37. dist. Dom. Sot. in 4. sent. dist. 27. q. 3. art. 3.*

p *c. sicut quidam. & ibid. glos. 25. q. 1. Couar. præalleg. lo. c. 6. n. 5.*

q *d. art. 3.*

r *Conc. Trid. sess. 25. c. 18. de refor. Idem sess. 24. c. 5. in fi. c. quædam lex. §. 1. 35. q. 3. Et Nauarro in voto solenni, id placere videtur ad c. non dubium. 12. q. 1. n. 17.*

s *c. 18 & 20. per text. d. sess. 24. can. 3.*

t *l. si ff. de rit. nupt.*

u *c. 1. 35. quæst. 1.*

x *dictis iurib.*

y *De quib. apud Dom. Sot. dist. 41. q. unic. a. 3. Bellar. lib. 1. de matr. sacra. c. 27.*

XII.

In reliquis tamen, ita demùm diſpenſatio admittitur, ſi vrgens iuſtaq; ratio & maior vtilitas ſuadeat; idq; cauſa cognita ac ſumma maturitate & gratis præſtandum eſt[z].

XIII.

Si enim ex falſa cauſa diſpenſatio indulgeatur, ea vti & cetera omnia priuilegia & reſcripta Principum, nullius momenti æſtimabitur[a]. Carere enim debet, inquiunt Impp.[b], mendax precator impetratis.

XIV.

Sin veró nulla aut ſaltem leui de cauſa ea concedatur, non aliter, quàm ſubreptitia cenſebitur[c].

XV.

Sed quid ſi ex certa ſcientia S. Pontifex nulla vehementi cauſa adductus, diſpenſationem concedat annè diſpenſatio ſubſiſtet? Vtique, propter auctoritatem Legislatoris, qui ſicut Canonis condendi, ita & immutandi habet facultatem[d]. Licet alioqui peccet Princeps relaxationem Iuris ex illegitima cauſa indulgens; & alter eâ impetrata vtens[e].

XVI.

Poſtremò huic capiti ſubiiciendum eſt; an in impetranda diſpenſatione ſufficiat remotiorem gradum exprimere? Quod non arbitramur[f], nihil impediente textu contrario[g].

z Concil. Trid. in d. c. 18. & c. 5.

a c super literis. ex. de reſcript. l. 2. C. ſi contra Ius vel vtil. publ.

b Theod. & Valent. in l. etſi legibus. C. d. tit.

c Conc. Trid. d. c. 18. iuncto c. 2. de fil. presbyt. lib. 6.

d l. 1. ff. de constitutio c. alma mater. in pr. de excommun. in 6.

e Quod eleganter explicat Couar. in 4. ext. 2. p. c. 6. §. 1. n. 10.

f per ea quæ adfert Innoc. ad c. quod dilectioni. ext. de conſang. & affin.

g in c. fi. ext. eod. tit.

DE

DE EFFECTIBVS MATRIMONII.

CAPVT XVII.

THESIS I.



EX matrimonij contractu duo effectus præcipuè nascuntur: Indiuidua vitæ societas[a], & iusta siue legitima proles[b].

II.

Quorum ille tanti roboris est, vt inuitus coniunx ad mutuam habitationem Iudicis officio constringi possit[c], constituta in eam rem actione vendicatoria ex lege (vt volunt) diuinâ vel Canonica[d]; & actione ad exhibendum[e].

III.

Modò in actione ad exhibendum, alter coniugum inuitus à tertio detineatur; Nam si sponte absit, nullus interdicto locus est[f], sed merum officium Iudicis imploratur[g]. Imò potest & Iudex secularis hoc casu adiri[h]. Ex quo enim nulla controuersia est de iure ipsius matrimonij, sed de facto contenditur, Iudex secularis rectè conuenitur[i]. Idem enim in aliis causis spiritualibus receptum videtur[k].

IV.

Ex quibus iustè addubitatum fuit: vtrum vxor maritum suum peregrinantem aut aliò diuertentem, teneatur subsequi? Quod minimè ex-

S 3 isti-

a Instit. de pat. pot. in p. c. illud. ext. de prob.
b l. filium ff. qui sint sui vel al. iur.

c c. literas de rest. spol. & c. 2. de sponsal. ext.
d d. c. illud. in verb. nos itaque attendentes. & c. non est vobis. in verb. vir eam vendicans. de spons. ext. arg. l. 1. §. 1. ff. de rei vendic.
e l. 2. ff. de lib. exhib. l. fi. C. eod. tit. l. si inuita. C. de nupt.
f l. 1. in fin. l. 2. & l. 3. in pr. ff. d. tit. & l. fi. C. eod. tit.
g Glossa ad d. c. non est vobis. in verb. vxor. quā sequitur Panor. adde l. fi. ff. d. t.
h Iuxta Io. And. & communem sentent. vti testatur Præpos. ad d. c. non est vobis.

i Ita videtur sensisse Bart. ad l. 2. ff. de Iurisd. om. Iud. Panor. ad c. cum sit generale. extr. de for. compet. & communiter authores teste Couar. in 4. ext. 2. par. c. 8. §. 12. n. 3. et in pract. qq. c. 35. n. 1. Consule Conc. Trid. sess. 24. can. vlt.
k in c. licet, de iureiur. in 6. in c. post miserabilē. ext. de vsur.
l per c. si quis necessitate. 34. q. 2. c. ex multa. § quod aūt. et in §. penult. c. praeced. in fi. ext. de voto.

istimamus[l], cùm maritus corporis sui potestatem non habeat, sed vxor, & è diuerso[m]: nisi iusta secedendi causa aliud suadeat; tunc enim marito tanquam capiti parendum est[n]. Aut, nisi vxor mariti conditionis conscia vagabundo siue circumforaneo nupserit. Videtur enim hac specie in mariti conditionem descendisse[o].

V.

An autem pactum valeat inter coniuges, vt certo & definito loco perpetuò commorentur, controuersum meminimus. Verùm opinamur illud conueniri non posse, quia seruitutis instar est vni semper loco adhærescere[p]: ideoq; iusta ratione exigente, inuitâ vxore domicilium aliò transferri posse[q].

VI.

Vehementer verò hallucinantur, qui existimant inter coniuges tacitam quandam bonorum societatem contrahi[r]; cùm expresso iuri contrarium probetur[s]. Nec enim aliud inter coniuges ex contractis nuptiis, quàm vitæ societas cogitur[t].

VII.

Quanquam illud in marito & vxore discriminis sit; quod quicquid maritus ex re quapiam adquisiuit, suo Iure quæsiuisse censeatur, cùm contrà in vxore, si ad eam quidquam peruenerit, id mariti rationibus in obscuro adscribendum sit, euitandæ turpis suspicionis causa[u].

VIII.

Quemadmodum & in Prælato Ecclesiæ rectè dicitur, vt quicquid tempore administrationis suæ sibi accessit, prospectu Ecclesiæ præsumatur obtigisse[x]. Nisi contrarium aperta ratione demonstretur[y]. Cete-

m c. non debet. §. prohibitio. ext. de consf. & affin. 1. ad Cor. 7.
n c. cùm caput. c. mulierem. 33. q. 5. D. Paul. ad Ephes. 5. cap. l. sicut. ff. de op. libert.
o c. scienti. de reg. Iu. in 6. l. non fraudantur. ff. eod. tit. iunge tex. in §. fin. Instit. de societ. & in l. cum mãdato ff. de minor.
p arg. l. Titio. §. 2. ff. de condit. & demonst.
q l. si conuenerit. cum ll. seqq. ff. pro soc.
r Gloss. ad c. cùm societ. n. 27. q. 2. quam sequi dicitur Nic. Boer. in consuet. Bitur. de consuet. matr. §. 2. & pro ea facit l. aduersus. in pr. C. de crim. exp. hæred. l. 1. ff. de rit. nupt.
s in l. Quintus. ff. de donat. int. vir. & vxo. & tit. C. ne vx. pro mar. & aliis ll. C. si quis alteri vel sibi.
t Ex definitione nupt. Instit. de pat. potest. in pr.
u d. l. Quintus. et l. etiã. C. de donat. int. vir. & vx.
x c. 1. & c. 2. extr. de pecul. Cler. c. Sacerdotes. 12 q. 4. Authent. licentiam. C. de Episc. & Cler.
y c. quia nos. & c. requisisti. ext. de testam. & d. l. Quintus.

573

IX.

Ceterùm aliquot casibus inter coniuges bonorum societas coïtur; si videlicet id expressè conuentum sit[z], aut communem artem, cauponam aut negotiationem quæstûs causa exerceant, vt tamen is in commune conferatur[a], aut statuto siue consuetudine loci id cautum sit[b], aut deniq; res acquisita ex vtriusque bonis mariti & vxoris comparata & possessa sit[c].

X.

Ex eâdem coniugum coniunctione perpetua, & illud necessariò consequitur: matrimonium quoad vinculum indissolubile esse, non quidem natura sua[d], sed ex diuina institutione[e].

XI.

Nisi ante eiusdem consummationem religionis professio ab altero coniugum suscipiatur[f], aut alter infidelium ad Christi sacra transeat[g], aut saltem mors ipsa, alterum disiungat[h]. De dispensatione suprà actum est.

XII.

Quocircà contra veritatem Euangelij & institutionem Matrimonij[i], frustra contendunt[k], qui astruunt matrimonij vinculum ex causa adulterij disrumpi & conuelli posse. Quorum assertio etiam Concilij Trid. anathemate iam pridem explosa est[l].

XIII.

Multò minus aliorum error admittendus est, qui propter hæresin, aut molestam cohabitationem,

z per tex. in l. ex diuers. vers. idem & Proculus. ff. sol. mat. de quo etiam Gail. lib. 2. obs. 8. n. 14. cum seq.
a c. qui sentit. de re. Iu. in 6. Pet. Gerard. de petra sancta sing. 99. ubi latius explicat.
b Abb. Pan. ad c. significauit. iuncta l. multùm, C. si quis alteri vel sibi.
c ext. d. l. filium.
d Nam hac specie contrario dissensu dissolui posset ex l. nihil tàm naturale. ff. de reg. Iu. c. omnis. ex. eod. idq; & antiquo Iure Cod. receptum in l. si constante. tit. de repud.
e Conc. Trid. sess. 24. in doct. de Sacra. matri.
f c. 2. & c. ex publico. ext. de conuers. coniug. & d. sess. 24. can. 6.
g c. si infidelis cum seqq. 28. q. 1. & c. 1. c. 2. ead. q. 2. c. quanto. & c. gaudemus. ex. de diuort.
h 1. ad Cor. 7. circa fi. & ad Rom. 5. c. penul. & vlt. ex. de 2. nupt. S. Aug lib. 2. de adult. coniug. c. 4.
i Math. 5. Marci 10. Lucæ 16. d. c. 7. ad Cor. elegan. Bellar. d. lo. cap. 16.
k Græci, Lutherani, Caluinistæ, Anabaptistæ & alij, vt videre est apud Bellar. lib. de matr. cap. 15.
l d. sess. 24. can. 7.

nem, siue affectatam absentiam coniugis, illud dissolui posse existimant[m].

XIV.

Tametsi, quoad thorum & cohabitationem coniugum, vsus matrimonij ex multis causis impediri posse, constitutissimum sit[n].

XV.

Quales sunt: alterius coniugum adulterium[o], à vera fide defectio[p], mortalis peccati præsens periculum[q], mariti sæuitia, & similes[r].

XVI

Alter matrimonij effectus erat legitima proles, quæ inde suscipitur[s]: Cùm & tanti ponderis matrimonium sit, vt & naturales liberos solutis parentibus natos, contractis postea inter eosdem nuptiis, legitimos efficiat[t].

XVII.

Neque inter est; ex concubinatu, an ex fornicario congressu illi prodierint[u]. Item an parentes tempore contractus adhuc adolescentes, an verò decrepiti & senio confecti[x], aut etiam mortivicini sint[y].

XVIII.

Neque etiam (licet aliter Iure ciuili[z]) instrumenta dotalia hoc casu, exiguntur: sufficit enim ad legitimationem filiorum qualecunque matrimonium subsequens[a].

XIX.

Etiam putatiuum, id est, quod communi hominum opinione & bonâ contrahentium fide, loco legitimi matrimonij contrahitur, licet interim con-

m *Concil. Trid. in d. sess. 24. Can. 5. & c. 2. & c. quanto. §. si verò alter infidelium. ex. de diuort. c. in præsentia. de spons.*

n *Concil. Trid. d. sess. can. 8.*

o *c. significasti. cum c. seq. ext. de diuort.*

p *d. cap. 2. & d. c. quãto. D. Pau. ad Titum. 3. ca.*

q *Matthæi 19.*

r *C. literas. ex. de rest. spoliat. de quibus latius apud Couar. in 4. decret. p. 2. c. 7. n. 15. Bellar. d. lo. cap. 14. & Nauar. c. 22. nu. 22. sui Enchirid.*

s *ex d. l. filium.*

t *c. tanta. ex. qui filij sint legit.*

u *vti docet Ripa ad l. si vnquam q. 23. n. 55. C. de reuoc. donat. Idem apud Dec. & alios relatos à Gail. d. lib. obs. 141.*

x *l. penult. C. de nupt.*

y *Gail iam d. lo. fac. c. laudabilem. ex. de frigid. & malefic.*

z *In §. fi. Inst. de nupt. l. cum quis. C. de nat. lib.*

a *per tex. in d. c. tanta. cui stãdum est. ex. c. fi. de Iud. in 6. c. penult. & vlt. ex. de 2. nupt. iuncto c. Ecclesia S. Mariæ ex. de constit.*

contrahentes Canonum impedimento iusto detineantur & præpediti sint[b].

XX.

In nepote idem censemus vnà cum Did. Couar[c], vt si fortè filius naturalis relicto ex se nepote decesserit, ex subsequentibus nuptiis inter auum & auiam, nepos legitimus constituatur.

XXI.

Verùm, an idem obtineat in matre, quæ eodem tempore plures in concubitum admisit, ideóque filium ex incerto patre conceperit & ediderit, iusta ratione controuertitur? Nos in fauorem prolis æquius arbitramur, vt & hic filius legitimorum albo inscribatur[d].

XXII.

Illud porrò animaduertendum est in hoc argumenti genere, ne filius omnino spurius sit, hoc est, ex adulterio, incæstu, vel simili damnato coïtu susceptus. Hunc enim ex subsequenti matrimonio inter suos parentes inito, legitimum effici ratio non patitur[e].

XXIII.

Idq; adeo; vt etsi ex congressu Christiani cum pagana aut alio nefario actu proles concitata sit, eam tamen minimè legitimam fieri ex eo, quòd postmodum pagana Christi sacris initiata cum Christiano in matrimonium transmeet, aut vitium incæstuosi coitus, Ecclesiæ dispensatione aboleatur.

XXIV.

Ita; vt regulæ loco hîc obseruandum sit,

T quod

b c. penult. extr. qui fil. sint legit. gloss. Ant. de Butr. Panor. ad d. c. tanta. Licet Couar: aliter sentiat in 4. decret. in 2. p. c. 8. §. 2. n. 17. quos consule.

c præ alleg. lo. n. 19. contra apud Andr. Gail. d. obs. 141.

d arg. l. miles. §. defuncto. ff. ad l. Iul. de adult. cum c. fi. ext. de sent. & re iud.

e in d. c. tanta.

quod vbicunq; concubitus non potuit esse coniugalis, obstante Canonum impedimento; nunquam liberos ex eodem profectos, legitimos effici per subsequens matrimonium: & è contra, quandocunq; coniugalis esse potuit, nullo impedimento subsistente, eosdem reddi legitimos ex nuptiis subsequentibus[f].

f De quo apud Abbat. ad d.c. tanta.n.14.& Pet. Duennam in regula 350. limit. 6.

XXV.

In quo tamen non copulatiuè spectandum ducimus vtrumq; tempus conceptionis & natiuitatis liberorum; sed sufficit ad hanc legitimationem, altero saltem tempore inter parentes contrahi potuisse matrimonium[g].

g l. qui in vtero. ff. de stat. hom. §. sufficit. Instit. de ingenuis l. seruorum. §. fi. ff. eod. de stat. hom.

XXVI.

Vnde consequitur: si filius ex adulterino commercio prius conceptus, soluto matrimonio in lucem edatur, aut si ex incæstuoso concubitu excitatus sit, sequatur autem ante natiuitatem, Ecclesiæ dispensatio; ex sequenti inter eosdem parentes coniugio, huiusmodi filium Ius legitimationis assequi[h].

h ex. d. l. qui in vtero.

XXVII.

Quare, cum matrimonij ea vis sit, vt ex illegitimis faciat legitimos[i]; nemini dubium esse potest, illos eadem iura consequi, quæ expressim aliis legitimis liberis statuto, consuetudine vel communi Iure deferuntur[k].

i ex. d. c. tanta.

k Quia matrimonium omnia præcedentia purgat. arg. l. 2. C. de his quæ vi met. ca. & l. si liberis ob turpem. ff. de condit. ob turp. ca.

XXVIII.

Vnde ad quosuis ordines sacros etiam Episcopalem dignitatem liberè admittendi erunt[l]; neque

l Gloss. ad d.c. tanta. & ad c. innotuit. verbo. coniugata. ext. de elect.

que ab hæreditate aut feudi successione vlla ratione submouendi[m].

XXIX.

Idem in Iure primogenituræ seruandum est; Nisi fortè dignitas parenti obuenerit post natiuitatem filij naturalis, vti rectissimè Felin.[n], defendit in filio Regis nato ante adeptum à patre regnum, vt non hic, sed qui pòst susceptus erit, primogenitus dicatur. Quod & in primogenitura Ducatus Mediolanensis aliquando respondit Franc. Cremensis[o].

m Gloss. ad d. c. tanta quam sing. notat Panor. Alex. in l. ex facto. §. si quis interrogatus n. 15. ff. ad Trebell. Iason in l. generaliter. §. cùm autem. penult. col. C. de inst. & subst. quos vide. & quæ habet Carol. Ruin. cons. 221 col. 2. vol. 1. Paris. cons. 13. n. 49. vol. 2. & Abb. ad d. c. tanta.

n ad c. prudentiam. n. 8. cum seq. ex. de off. & pot. Iud. deleg.

o sing. 51. Vide ibidem Saray. in addit. Tiraq. in tract. de primogenit. q. 31.

F I N I S.

Errata sic corrigantur.

Pag. 2. vers. 22. certa. p. 7. v. 27. quiq. p. 10. v. 11. Ecclesiasticum. p. 11. v. 1. Episcoporum. ibid. Epiphanij. p. 12. v. 22. per Tribonianum. p. 22. v. 27. flabra. p. 27. v. 7. retinendam. p. 23. v. 21. recedendum. p 26. v. 12. Romanos. p. 27. in marg. primus omnium. p. 32. v. 20. Ordini. p. 33. v. 12. teipsum. p. 34. v. 10. enim. p. 41. v. 24. expreßè. p. 57. v. 25. dele iisdem. p. 59. v. 19. patuerit. p. 62. in marg. Caluinum. p. 75. v. 2. moram. p. 77. v. 1. pertimuissent. p. 84. v. 7. datam! p. 88. Damiane. ibid. Menace. ibid. Zoe. p. 92. v. 5. ablationis. p. 92. v. 12. pœnam. p. 94. v. 4. est. p. 96. v. 12. Lucij. p. 98. v. 4. aut alia notabilis deformitas. p. 105. v. 15. producendum. p. 119. v. 2. verum. Cætera, si quæ erunt, prudens lector corrigat.